Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0001-7

414

Dum vocat
Anno domini
1567

XVII, 434.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0002-2

# SYNTAXIS OLIM A' PHILIPPO Melanthone collecta.

NVNC LOCVPLE-tata, ut ſit ad uſum ſchola-rum accommodatior.

CVM PRAEFATIONE Philippi Melanthonis.

Adiecti ſunt in margine ex-emplorum loci.

LIPSIAE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0003-8

# ANDREAS VINCLERVS
## Lectori S. D.

PHILIPPI Melanthonis Syntaxin, opera uiri doctiſs. VITI Vuinſemij cum præceptis, tum exemplis locupletatam, denuo diligentiſsimè excuſam damus, id q; facilè reipſa cognoſces ubi hanc noſtram æditionem cum ſuperioribus contuleris. Exemplorum præterea ferè omnium, ex optimis quibuſq; Latinæ linguæ ſcriptoribus depromptorũ in margine locos adiectos uides. Quem noſtrum laborem non ſolum ſtudioſis pueris, uerumetiam ijs ipſis, qui non ita magna librorum copia inſtructi iuuentutem docent, gratum fore confido, & longæ inquiſitionis moleſtia facile liberabuntur, quibus perſuaſum eſt, tum demum pleraq; exempla rectius intelligi, cum in ipſis autoribus, unde ſunt petita, legerint. Tuum itaq; fuerit candide Lector, hos conatus noſtros amplecti, quos ſtudioſorum cauſa cum primis à nobis eſſe ſucceptos, credas uelim. Vale.

# PHILIPPVS MELANTHON
## Iuſto Ionæ, filio uiri clariſsimi Iuſti Ionæ doctoris
## S. D.

MAGNA ſimilitudo eſt legum atque artium, ac ſi uerè iudicare uolumus, leges ſunt haud dubiè ars quædam regendorum morum & cõſiliorum uitæ. Quis autem non uidet, quam impatienter ferant legum uincula, homines non ſatis inſtituti & aſſuefacti? quàm indignentur ac fremant uelut carcere, legum minis incluſas cupiditates coherceri. Sicut & apud Platonem Gorgias, etſi non rectè iudicat, inquit, Legem cum natura pugnare. Hæc contumacia in iuuentute magis conſpici poteſt, & in barbaris gentibus, quo quæq; eſt ferotior, eo minus habet legum & diſciplinæ, & plus ſibi ſumit licentiæ. Sicut autem affecti ſunt animi agreſtiores erga leges, ita uidemus plærunq; adoleſcentes, alios rigidioribus naturis præditos, erga artes affectos eſſe. Etiam cum diſcunt literas, linguas, hiſtorias, religiones, leges, remedia, tamen à præceptis artium ipſarum abhorrent, hæc uincula ſibi iniici non patiuntur, ſed quadam barbarica libertate uagantur in doctrinarum campis, & decer-

punt paßim quantum delectat, artes ipſas neq; ordine neq; integre diſcunt. Nec uero ullo in genere perfecta doctrina camparari poteſt, hac confuſanea diſcendi ratione. Atq; hic maximè reprehendendi ſunt quidem, qui pueris ipſis odium præceptionum inſtillant, qui ſicut milites illiterati gallice inter Gallos diſcunt, ita ſperant pueros, fore Grammaticos, ſine arte, utcunq; colloquentes cum autoribus. Vt autem uulgus gaudet legum habenas laxari, ita pueris hæc σεισαχθεία, duplici nomine grata eſt. Nam & onere diſcendi argutias odioſas illi ætati leuantur, & ſibi libertatem concedi putant, ne ad præſcriptum loquantur. Sed hæc indulgentia etiamſi eſt popularis, tamen eſt admodum pernitioſa. Poſtquàm enim deſijt uernaculus uſus linguæ latinæ, nemo certam loquendi rationem ſine regulis conſequi poteſt. Itaq; qui præceptiones non didicerunt, pauló poſt erroris ſui, uel ignauiæ pœnas dant. Poſtquàm enim adoleuerunt conſcij ſibi inſcitiæ ſuæ, nec loqui, nec ſcribere latinè audent, quare alij deſperatione quadam in totum abijciunt literas, alij etiamſi commorantur in ſtudijs, tamen iuſtos fructus ex eis præcipere non poſſunt, quorum utrunq; multis modis nocet reipublicæ. Sedent enim ad iubernacula iudicaturi de religionibus, de iure ac iuſtitia, de artibus, ſine ulla perfecta doctrina. Ne intelligere quidem pro=

priè

priè ea, quæ à doctis citantur, poſſunt. Vt igitur popularitas & mollicies in ſoluendis legibus præcipua eſt imperiorum peſtis, ita religione præceptionum animos liberari, nequaquàm eſt utile publicis ſtudijs. Et hanc puerilem conſuetudinem animaduerto in poſterum nocere. Poſtquàm ſemel induerunt contemptum præceptionum in Grammaticis, adferunt deinde ſimilem negligentiam ad cæteras maiores artes, quarum cum leges aſpernentur, non ſolidam doctrinam. Sed quadam doctrinæ umbram ex illis aufferunt. Non enim earum initia & ſeriem ordine cognoſcunt, ſed fortuito quædam inde ſumunt, quæ ad oſtentationem, aut mediocrem uſum conducere uidentur. Et quia cognatio eſt legum atq; artium, elabitur animus aſſuefactus ad contemnendas præceptiones, reuerentia legum, quæ priuatos & publicos mores gubernant. Ita negligentia in re, ut initio uidetur, leui, parit ingens malum. Nam in inſtituendis ad uirtutem hominibus, præcipuè hac diligentia opus eſt, ut animis inſeratur reuerentia erga leges, ut ueras & neceſſarias uitæ eſſe ducant, nec priuato arbitrio, ſed ad illarum præſcriptum mores regendos eſſe ſentiant, ſicut Cyrus puer uenuſtiſſime admonetur iuſta eſſe ducenda, non quæ ipſi æqua uideantur, ſed quæ legibus conſtituta ſunt. Cum enim puer grandiuſculus indutus breui tunica, alteri minori, ueſtem longiorem

Xenophon li. 1. de pædia.

ademiſſet, data illi breuiore tunica, quæ quadrabat admodum corpori illius, & res ad Cyrum iudicem deferretur, Pronunciat Cyrus, ut quiſq; ueſtem ſuo corpori aptā teneat, Id enim puerili quadam opinione commodum & æquum eſſe arbitrabatur. Sed poſtea Pædagogus retractata ſententia dat plagas Cyro, & monet iuſta eſſe, non quæ ipſi uideantur commoda, ſed quæ legibus ſancita ſunt, præcipua autem lex eſt, ut ſuum quiſq; teneat, ne aliorum fortunas quiſquam impetum faciat. Ita ſignificauit ille Cyri magiſter, aſſuefaciendos eſſe animos, ut noſtris opinionibus & cupiditatibus longè anteferamus legum autoritatem. Quare ἠθι-κὸν quiddam fuerit, tenerā ætatē flectere ad amandas præceptiones, ut exiſtimet uirtutem eſſe, frenare ingenium, & ad præſcriptū tum loqui, cum agere omnia. Illud enim conſtat præceptionum contemptu in ferocioribus ingenijs ualde confirmare Cyclopicam audaciam. Et adoleſcentes ipſos admoneo, ut ſi quem uiderint equalium inimicum artibus & præceptis, hanc ut exiſtiment notā eſſe naturæ immoderatam libertatem concupiſcentis, & legum repagula effracturæ. Nullū autem monſtrum perinde tetrum cogitari poteſt, ut talis natura impatiens legum & diſciplinæ, ſeditioſa ac tyrannica. Hæc in genere præfari uolui de præceptionibus amandis, quæ eſſe uerißima omnes prudētes uiri te-

ſtabun-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0008-6

ſtabuntur, & animaduerti facile poſſum, ſi quis ingeniorum naturas conſiderauerit. Eſt autem quædam ad mores & ad multas res neceſſaria diligẽtia, diuerſitatem ingeniorum obſeruare. Etſi igitur in artibus diſcendis non ſatis eſt præcepta audire, ſed adiungi oportet exempla imitationem & exercitationem, tamen hoc perſuaſißimum ſit omnibus, uim magnam, atq; utilitatem eſſe præceptionum. Porrò ut hoc loco tantum de hac parte Grãmatices dicam, ingens utilitas eſt, tenere certam loquendi rationẽ, & de natura ſermonis rectè iudicare poſſe. Errant autem tota uia, & toto cœlo, ſi qui putant hæc ſine præceptis quenq̃ conſequi poſſe. Idq; fateri res ipſa tandẽ cogit eos, qui omißis præceptis ex ſola autorum lectione iungere uerba didicerunt. Deinde etiam ſi ad quotidianũ colloquiũ ſatis formularũ ſuppeditat lectio, quid facient, ſi longior cauſa explicãda erit? quomodo compoſitionẽ illam periodorũ, & totam ſeriem membrorũ in oratione intelligent, niſi omnẽ rationem ſyntaxeos probè cognouerint. Poſtremò obſcuras aut uitioſas ſyntaxes quomodo iudicabunt, niſi adhibitis regulis. Nam ſi tantum exempla quærant, occurrent uitioſa, quorũ plæraq; à rectè dictis non poſſunt ſine regula diſcerni. Porrò etiam doctos homines interdum obſcuritas, aut nouitas in Syntaxi fallit. Nam, ut ex ſacris literis exempla petamus, extat in priore Epiſtola ad Timotheũ

gnome Pauli. Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi manſerint in fide, dilectione, caſtitate & temperantia. Hîc multos feſellit numeri mutatio, ſi manſerint, ideoq́; diſputant, quid uelit Paulus, an mater alioqui pia, ſi filij abiecerint fidem, peritura ſit ipſa quoq;. His intempeſtiuis quæſtionibus nihil opus eſſe ſagax Grammaticus facilè intelliget, ut enim dicimus, Turba ruunt, ita hic de ſexu loquitur, ſi manſerint, ſcilicet, ſexus muliebris. Explicata ſyntaxi, poſtea cernes in hac gnome, non abſurdas aut hyperbolicas ſententias contineri, ſed doctrinam de rebus maximis, utiliſsimam, minimeq́; abſurdam. Quæ enim contio grauior & eruditior proponi poteſt, quàm hæc: ut in ſaluandis exiſtere fidem, & fidei fructus, officia ſuæ cuiusq́; uocationis oportet, ita hîc Paulus complectitur ſummam doctrinæ de ſalute coniugum hoc dicto, requirit fidem & uocationis opera, ſcilicet, officia coniugalia & caſtitatem. Iam quæ conſolatio dulcior pijs in coniugio eſſe poteſt, quàm quòd audiunt hîc officia coniugalia non improbari, aut inter uitia recenſeri, ſed præſtantiſsimis uirtutibus annumerari, quas Deus approbat, & quæ exiſtunt in ſaluandis. Hæc ſententia pios præclarè munit contra ſuperſtitionem. Hæc utilis doctrina tota iacet obruta denſiſsima caligine, ſi quis ignoret Grammaticam rationem ſyntaxeos. Itaq́; hîc prodigioſas in-

eptias Thomas comminiſcitur. Exigua laus eſſe ducitur, non falli in Grammatica, ſed tamen utilitas eſt ampliſſima. Accidit enim hic quoq; ut ſit, quemadmodum dicitur, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. Animaduerſa enim Grammatica ſententia, poſtea mediocriter doctus uideri poteſt, ad quos locos dictum accommodari debeat. Hic ſi errata ſyntaxeos in ſacris libris uelim recitare, nimis prolixus catalogus futurus eſſet. Annotaui autem unum atq; alterum. Primum, ut uideant adoleſcentes, quàm neceſſaria ſint ad ueras ſententias patefaciendas præcepta de Syntaxi. Deinde, ut his admoniti exemplis, ſint loquendo & iudicando diligentiores, In Euangelio Ioannis, ca. 8. legitur: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hic fefellit & interpretem & Auguſtinum figura conſtructionis. Nam τὴν ἀρχὴν ponitur aduerbialiter pro particula prorſus, ſeu primum. Cum enim illi interrogaſſent Chriſtum, quis eſſet, reſpondit, prorſus is ſum, quem me eſſe dico, quem me eſſe profiteor. Hæc interpretatio perſpicua eſt. At alij malè intellecta particula, τὴν ἀρχὴν, legerunt principium quod & loquor uobis, ac diſputāt. quare Chriſtus ſe nominet principium. Hæc etiamſi non ſint abſurda, tamen hoc quidem loco intempeſtiua ſunt, & offendunt caliginem reliquo ſermoni. In Pſalmo legitur: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, &c. Quantum

accedet lucis & gratiæ, ſi rectè reddatur figura conſtructionis, Confirma hoc Deus quod operatus es propter templum tuum. Orat enim ut Deus gubernet, adiuuet & confirmet pios, ut propagare doctrinam poßint, idq́; orat fieri propter templum ipſius, id eſt, ut Euangelium ubiq; illuceſcat, ut gloria Dei ornetur, & uera Eccleſia creſcat. Quàm dulcis uerſiculus eſt in alio Pſalmo: In conueniendo populus in unum, & reges, ut ſeruiant Domino. Hic Grammatici de conſtructione rixantur, cum ſit forma orationis contra latinam cõſuetudinẽ ex græco expreſſa. Cum conueniunt populi ſimul, & reges, ut ſeruiant Domino. Multa enim complectitur: Pingit Eccleſiæ cõcordiam, teſtatur etiam ad reges Euangelium pertinere, & hanc curã regum eſſe debere, ut populos ad pietatem inuitent, deniq; propter hunc finem homines ad ſocietatẽ eſſe conditos, imperia conſtituta eſſe, populos, hoc eſt, cœtus conſociatus eſſe, & reges præpoſitos, ut ornent gloriã Dei. Hunc finẽ omnes cœtus hominũ in imperijs, ciuitatibus, familijs, ſcholis expetere debent. Monet igitur reges, principes, ciuitates, doctores, patresfamiliâs, ut cogitent hoc præcipuum eſſe officiũ ſuum, ut puram doctrinam ad gloriam dei, conſeruare & propagare, & deo obedire ſtudeant. In his exemplis uident adoleſcentes, monſtrata ſyntaxi, ſententias non modò illuſtriores, ſed etiam dulciore reddi ſtudioſis.

ſis. Multas enim magnas res ante inuolutas, Syntaxis profert & exponit. Scio eſſe puerile ſtudium, & negotium uideri leue, ſed mihi credant adoleſcentes, non minus prodeſſe generi humano Grammaticen, ac præcipuè hanc partem, quæ eſt abſolutio Grammatices, quàm plæraſq; alias artes aut profeßiones, etſi de earum dignitate nihil detraho. Magna utilitas & magna laus eſt Architectonicæ, quæ non modò domicilia nobis condidit, ſed etiam rationem muniendi magnos cœtus oſtendit, quæ machinas omnis generis utilißimas molas, naues, portus, aquæ ductus fabricat. Aſſentior magnam eſſe harum rerum utlitatem, ſed non minor eſt utilitas Grammatices. Hæ religionum, legum, hiſtoriarum, & multarum artium quaſi nutricula quædam eſt. Ideo non ſolum adhortor adoleſcentes, ſed etiam propter gloriam dei obteſtor, ut diligentiam in diſcendo adhibeant, quàm primum deo, Eccleſiæ & reipub. debent, deinde q̃ flagitant parētes, quorum iudicijs obtemperare eos deus iußit. Hæ cauſæ diſcendi inculcandæ ſunt adoleſcētibus, ut ſciant ſua ſtudia pertinere ad eccleſiam & remp. Niſi Grammaticen rectè didicerint, nõ poterunt cæteras artes eccleſiæ et reip. neceſſarias tueri. Nec noſtra opera deeſſe his ſtudijs debet. Ideo cum uiderē hunc libellũ in manib. eſſe puerorũ, fui autor uiro docto Vito Vuinſemio, ut eũ augeret, deeſſe enim aliquas

pueri

pueriles regulas animaduerteram. Prodit igitur locupletatus non modo præceptis, ſed etiam exemplis, quorum imitatio ad phraſin conducit. Hortantur autem de domeſtica exempla ad has artes amandas, quæ ad rectè dicendum neceſſariæ ſunt. Es enim natus in oratoria familia. Nam auum tuum audimus ſummam autoritatem propter eloquentiam & ciuilem prudentiam in patria conſecutum eſſe, qui, ut illa tempora ferebant, non indoctus fuit, & ſtudioſus in primis, ne deeſſent in oratione nerui. Pater uerò etſi tantum natura ualet, ut nullius ingenium cognouerim ad eloquentiam aptius, tanta eſt ubertas, tantus ſplendor in eius oratione, quæ naturæ bona ſunt, tamen illam naturæ fœlicitatem magna doctrinæ copia etiam inſtruxit. Horum te accendi exemplis conuenit, ut poſſeßionem huius laudis in familia retineas. Bene uale.

SYN=

# SYNTAXIS
## DE NOMINE.

NOMEN ſine uerbo non abſoluit orationem aut integram ſententiam. Eſt enim oratio integra ſententiæ explicatio. Et tamen ſæpe multa nomina connectuntur, quibus unum uerbum reſpondet. Quare principio de nominis Syntaxi dicemus.

### PRIMA REGVLA.

Adiectiuum & ſubſtantiuum eodem genere, numero & caſu cohærent, ut:

Amicus certus in re incerta cernitur. Ennius.

Verg. Labor omnia uincit 1. Georg.
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Dulcia præcipiti labuntur tempora curſu.

Verg. Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui 3. Georg.
Prima fugit, ſubeunt curæ triſtisq; ſenectus
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Iuuenal. Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Sat. 10.

### II.

Ad eundem modũ & participia ſubſtantiuis connectuntur, ut:

Ouid. Donec eris fœlix multos numerabis amicos. 1. Triſt.

*Nullus ad Amiſſas ibit amicus opes.*

Eleg. 8. Idem. *Victaq; pugnaci iura ſub enſe iacent.*

4. Georg. Verg. *Victorq; uolenteis.*

*Per populos dat iura.*

III.

Sic & pronomina ſubſtātiuis eodem genere, numero & caſu iunguntur, ut:

Oui. 1 tri. *Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra*

Eleg. 4. *Fortunam debet quiſq; manere ſuam.*

Lib. 1. ad Horat. *Mentiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede uerũ* (eſt.

Mar. Verg. *Contrà audentior ito.*

6. Aenei. *Quám tua te fortuna ſinet.*

IIII.

Obſeruabunt hîc ſtudioſi & Græcas formulas, ut:

*Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

*Id eſt, tuam animam. In Græco enim eſt.*

καὶ σοῦ δὲ αὐτοῦς ψυχὴν &c.

V.

Quando duo adiectiua concurrunt, alterum induit naturam nominis ſubſtantiui, ut:

Eclog 8. *Fidus amicus.*

*Fortunate ſenex.*

VI.

Aliquando & ſubſtantiua induunt adiectiuorũ naturam, ut:

Verg.

Verg. Populum latè regem belloq́; ſuperbum. I. Aenei.
Idem, Inter uictrices hederam tibi ſerpere lauros. Eclog. 8.
Lucan. Populumq́; potentem. Lib. I.
In ſua uictrici conuerſum uiſcera dextra.

SECVNDA REGVLA.

De interrogationibus.

Interrogatiuum & redditiuum caſu conuenire debent, ut:

Cuius eſt ſententia? Ciceronis.
Catull. Cui dono lepidum nouum libellum?
Corneli. Tibi. Lib. I.

II.

Cum per uerbum ſit interrogatio, cō=modè uerbo reſpondebis, ut:

Quid agitur? Statur. Te. in Eu

III.

Cum per uerbum, quod ſpecialem actionem ſignificat, per idem uerbum reſponde, ut:

Terent. Ituran' Thais quopiam es? Reſpondet ipſa, Hodie itura. Curaſtine quod mandaueram? Curaui. I. Eunu.
Teren. An non dixi hoc eſſe futurum? Dixti. In And.
Quid meritus? crucem.

Aliquando tamen ſubijcitur, ſic eſt, uel factum, uel ita eſt, uel aliquid ſimile.

Teren. Chærean' ueſtem tuam detraxit tibi? Factū. In Eun.

Et pro

*Et pro te huc deductus eſt? Ita.*

IIII.

Aliquando tamē interrogatiuum & redditiuum non conueniunt caſu, cum uidelicet quæritur per uocem, quæ cū diuerſis caſibus conſtrui poteſt, ut:

*Quanti emptus eſt liber? Drachmis duabus.*

*Quanti uenditur uinum? Nummo.*

V.

Cum per pronomen poſſeſſiuum cuius, cuia, cuium quæritur, nomē poſſeſſoris in genitiuo, pronomina uerò poſſeſſiua in eodem caſu ſubijciuntur, ut:

Aegl. 3. *Vergil. Cuium pecus? an Melibœi?*

*Non, uerum Aegonis.*

*Cuius hic eſt hortulus? Veſter ne? Imo patrui.*

*Cuia eſt hæc puella? Noſtra.*

*De interrogatiuis hæc ferè traduntur à Grammaticis.*

Quis. *Alia enim ſubſtantiæ dicuntur, ut: quis uter, nunquis, ecquis.*

*Ad hæc reſpondetur per nomen proprium ſubſtantiuum, uel pronomen demonſtratiuum.*

*Alia accidentis, ea uaria ſunt.*

Qualis. *Qualis de qualitate quærit. Reſpondetur, bonus, malus, albus, ater &c.*

*Quantus*

Quantus de quantitate. Reſpondetur, magnus paruus: Item bipedalis, tripedalis, bicubitus. Quantus

Quot de numero. Reſpondetur, unũ, duo, tria, Quot.

Quotus de ordine numeri. Reſpondetur, primus, ſecundus. Et de his infrà, ubi de numeralibus agemus. Quotus.

Cuias de patria & ſecta quærit. Cuias es? Mundanus, reſpondet Socrates. Cuias.

Cuiuſmodi, de modo. cuiuſmo.

Quotuplus, de uno multiplicato. Quotu.

Quotuplum datur equiti? Triplum,

Quotennis, de annorum numero. Reſpondetur. Bimus, trimus, uel biennis, triennis, quadrimus, uel quadriennis: Item & anniculus. Quoten.

## TERTIA REGVLA DE Conſtructione & relatiui & antecedentis.

Relatiuum cum antecedente ſubſtantiuo, neceſſe eſt genere & numero conſentire, caſu nõ ſemper conuenit, nã is ſequẽti uerbo reſpondet. Et hoc præcipuè de relatiuo, qui, intelligendũ eſt, ut:

*Literas accepi tuas, quæ mihi magnæ uoluptati fuerunt.*

Horat. Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorẽ Teſta diu. Epiſt. I.

1. Offici. Cicero. Ludo autem & ioco, uti quidem licet, ſicut ſomno.

II.

Eſt & ubi relatiuum ſequentis ſubſtantiui genus, caſum & numerum mutuatur, de quo traditur hæc regula.

Relatiuum inter duo ſubſtantiua poſitum, ſi ſequens ſit proprium nomen, ſæpe cum ſequenti concordabit, ſin autem fuerit appellatiuum, poterit relatiuum uel cum ſequenti uel præcedenti conuenire.

*Salluſtius.*

In Catil. *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur.*

li.1.abur. *Liuius. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt.*

Paulus. *In ſemine tuo, qui eſt Chriſtus.*

3.de be.ci *Cæſar. Ad eum locum, quæ Pharſalia appellatur.*

*Liuius.2. ab urbe. Mutio uirtutis cauſa trans Tyberim agrum dedêre, quæ poſtea ſunt Mutia prata appellata.*

*Alterius partis exempla.*

*In his cum priore ſubſtantiuo relatiuum concordat.*

1. Meta. *Ouid. Vnus erat toto naturæ uultus in orbe, quem dixere chaos.*

li.3.ab ur *Liuius. Centuriatis comitijs X. tabularum leges per*

perlatæ ſunt, qui nunc quoq; in hoc, immenſo aliarum ſuper alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici priuatiq; eſt iuris.

Sequuntur exempla, ubi cum poſteriore concordat relatiuum.

Verg. Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat. 12. Aenei

Limes agro poſitus, &c.

Liuius. Carcerem ædificatum eſſe, quod domicilium plebis Romanæ uocare ſolitus eſt. Sed rarior eſt hæc figura.

Plinius. In coitu lunæ, quod interlunium uocant. Lib. 2.

Accipite gladium ſpiritus ſancti, quod eſt uerbum dei.

Cicero. Tunc domicilia coniuncta, quas urbes dicimus inuento & diuino & humano iure mœnibus ſepſerunt. Pro Seſt.

Ita & his & ſimilibus ad ſequens nomen. relatiuum refertur.

Salluſt. Philenorum aræ, quem locũ Aegyptum uerſus finem imperij habuêre Carthaginenſes. In Iugur.

Verg. Arcum manu, celeresq; ſagittas. 1. Aene.

Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.

Idem, Interea ſocios, inhumataq; corpora terræ 2. Aenei.

Mandemus, qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.

III.

Aliquando relatiuũ in neutro genere

refertur ad uerbum, uel totam orationē præcedentem, in hunc modum, ut:

*Terentius.*

In Heau. *In tēpore ad eam ueni, quod rerū omniū eſt primū.*

In Adel. *Idem. Et quod fortunatum iſti putant, uxorem nunquam habui.*

In Eunu. *Idem, Qui habet ſalem, quod in te eſt.*

IIII.

Qualis ſuum ſubſtantiuum adſciſcit, à quo mutuatur Genus, Caſum & Numerum, & uocatur relatiuum accidentis à Grammaticis, ut:

*Talis eſt ciuitas, quales ſunt principium mores.*
*In te talis ruit, qualem te ſenſerit alter.*

V.

Nonnunquam antecedens conſuetudine Græca per Ellepſim diſſimulatur.

8. Geor. *Vt, Verg. Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis*
*Hœdorumq́; dies ſeruandi, & lucidus anguis,*
*Quam quibus in patriā uentoſa per æquora uectis,*
*Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.*

*Deeſt enim, quàm, ſubintellige illis, obſeruandi ſunt, quibus in patriam uectis &c.*

Eclog. 2. *Idem. Canto quæ ſolitus, ſi quando armēta uocaret, Amphion, &c.*

Lib. 3. *Curtius. Hæc uociferantem, quibus imperatum, iugulant,*

*gulant, id eſt illi, quibus imperatum erat.*

VI.

Aliquando & relatiuum diſſimulatur.

Verg. *Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.* 1. Aenei.

*Deeſt, quam.*

*Idem. Eſt locus, Italiam Graij cognomine dicunt.* 1. Aenei. Item 3.

*Deeſt, quem.*

VII.

Videre eſt, & ubi antecedens repetitur, ut:

*Cæſar. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire poſſent.* De bell. Gal.

*Idem. Vltra eum locum, quo in loco Germani conſederant.* De bell. Gal.

*Sueton. Non ſine rumore, quem rumorem ipſe auxit.* In Cæſa.

## QVARTA REGVLA DE SYNtaxi nominis cum nomine in genitiuo.

Subſtantiuum cum ſubſtantiuo genitiuo caſu iungitur, ut:

*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Iu. ſa. 14

*Sall. Igitur Cupido pecuiæ primò, deinde imperij creuit, ea quaſi materies omnium malorum fuere.* In Catill.

1. Aenei. Verg. Romanos rerum dominos, gẽtemq́; togatam.
6. Aenei. Idem, Vincit amor patriæ, laudumq́; immmenſa cu-
3. Aenei. Auri ſacra fames. (pido
De ſene. Cicero. Voluptas eſca malorum.
Ocium puluinar Satanæ, D. Ambro.
In Eunu. Teren. Omnium rerum heus uiciſsitudo eſt.
2. Aenei. Verg. Troiæ & patriæ communis Erinnys
Idem. 12. Magnæ ſpes altera Romæ.
Te. in Eu. Calamitas noſtri fundi.
1. Georg. Verg. Oleæq́; Minerua Inuentrix.

Verbalia tamen, quia facile induunt adiectiuorum naturam, ſæpe imitantur ſuorum uerborum conſtructionem, ut apud Terentium.

In Hecy. Prolog. Facite, ut ueſtra autoritas meæ autoritati ſautrix, adiutrixq́; ſit.

Atticiſmum uocant, cum in hanc formam mutamus adiectiui & ſubſtantiui conſtructionem. Pro nulla pecunia, nihil pecuniæ. Nam adiectiua genere neutro uertuntur in ſubſtantiuorum naturam, ut apud Catullum,

Ad Var. Non uidemus manticæ quod in tergo eſt.
In Hæcy. Terent. Quid hominis es?
Quid mulieris uxorem habet? aut quibus moratam moribus?
In And. Idem, Aliud monſtri alunt,

Idem, Ego iſtuc ætatis non amori operam dabam. In Heau.

Liuius. Quid ſe id ætatis ſollicitaſſent, ſi alio duce bellum geſturi eſſent. li. 10. ab urb.

Cicero. Quid fortuna in malis reliqui fecit. Pro Syll.

Liuius. Nec quid ab hoſte pati crudelius poſſent reliqui quicquam fuit, quam quæ ab ſocijs paciebantur. li. 2. de. 4.

Salluſt. Neq; id quibus modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quicquam penſi habebat. In Catill.

Iuuenal. Quantum quiſq; ſua numerum poßidet arca, Tantum habet & fidei. Sat. 3.

Cicero. Quid eſt enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, rectis ſtudijs, bonis artibus, ſed omnino libertati ac ſaluti loci? In Famil.

Terent. Nihil loci eſt ſegnitiæ, neq; ſocordiæ. In And.

Eſt & hic Atticiſmus, Id genus pro eius generis. Multi hoc tempore prætextu euangelij ſediciones excitant, id genus homines odi, nam ſibi regnum non Chriſto parant.

Eſt & alia quædam forma, ſed qua in paucis utimur, Homo nihili. Res mancipij. Pronunciatur autem mancipi tribus ſyllabis, ſed ea uox eſt genitiuus à nominatiuo mancipium. Res mancipi, id eſt, res propria.

Addunt his datiuum frugi. Homo frugi, & particulam huiuſmodi. Hæc cum omnibus generibus. caſibus & numeris coniungunt.

III.

Aduerbia quoq; copiæ & penuriæ hanc Syntaxin imitantur, ut:

In Catil. Salluſt. Satis loquentiæ, ſapientiæ parum.

Abunde uerborum.

7. Aenei. Verg. Terrorum & fraudis abunde eſt.

Sueton. in Cæſa. Se iam pridem potentiæ gloriæq; abunde adeptum.

IIII.

Obſeruent & hîc pueri, quòd hi genitiui, mei, tui, ſui, noſtri & ueſtri, ſubiecti nominibus affectum, ut ſunt, odium, amor, ſtudium, timor, deſiderium, memoria, &c. ſignificant paſſiuè.

Timor meus, quo ego timeo alios.

Timor mei, quo me alij timent.

Amore tui feci, quo tu à me amaris.

12. Aen. Verg. Victus amore tui, cognato ſanguine uictus.

Horat. Ne ſtudio noſtri pecces.

Ad Atti. Cicero. Vehementer tua ſui memoria delectatur.

In Heau. Rarum eſt, Deſiderio tuo, pro tui, apud Terentiũ.

REGVLA QVINTA DE SYNtaxi comparatiui & ſuperlatiui.

Comparatiui adſciſcunt ablatiuos, ut:

Epiſt. 1. Horat. Vilius argentum eſt auro, uirtutibus aurum.

10. Aen. Verg. Quo moriture ruis, maioraq; uiribus audes?

Cicer.

Cicer. Opinione omnium maiorem cepi animo dolorem, id eſt, maiorem quàm homines opinantur. In Brut.

Et pro ablatiuo interdum nominatiuus ponitur, cum particula quàm.

Vilius eſt argentum quàm aurum.

Pro quàm item aliquando uſurpantur particulæ, ac, atq;, ut Plautus,

Amicior mihi nullus uiuit, atq; is eſt. In Mer.

Cicero. Mihi uidetur diutius abſuturus, ac uellem.

Obſeruandæ ſunt & hæ comparatiuæ formulæ. Dicto citius, triſtior ſolito, maior iuſto.

Item maior, minor natu.

Maximus ætate. Maximus natu.

Grandior natu.

Veturia magno natu mulier, apud Liuium. Lib. 2. ab urb.

Eſt & hæc forma ſermonis latinis autoribus uſitata.

Liuius. Maior quàm pro numero hominum editur pugna. li. 5. de. 3.

Maiore quàm pro modo corporis ueſte utitur.

Res notior, quàm quæ probatione indigeat, uel quàm ut indigeat.

II.

Sic autem Latini comparatiua iterarunt, ut:

li.6.de.1. Triumphus clarior, quàm gratior: & peſtilentia minacior quàm pernicioſior, apud Liuium.
li.4.d.1.

li.2.de.5. Liuius de Fabio. Cautior tamen, quàm promptior hic habitus fuit.

li.5.de re ruſt. Columel. At ſi longior fuerit, quàm latior.

III.

Obſeruandum tamen eſt, quòd comparatiui & ſuperlatiui præter hos caſus, & poſitiui ſui caſum recipiunt, ut:

Diues, ditior, ditiſsimus agri.
Auidus, auidior, auidiſsimus lucri.
Dignus dignior, digniſsimus laude.
Clarus, clarior, clariſsimus ingenio.

REGVLA SEXTA.

Superlatiua adſciſcunt genitiuos plurales, uel collectiui nominis ſingulares, ut

Ti. de. ci. Diſertiſsime Romuli nepotum.
Ver. 1. Ae Tydites gentis Danaum fortiſsimus.
Pro Rab. Cicero Virum unum totius Græciæ facilè doctiſsimum Platonem.

II.

Eum genitiuum cum particulis, de, in, uel ex, circumloquimur, ut:

li.2.de or Cice. Acerrimum autem ex omnibus ſenſibus eſſe ſenſum uidendi.

Liuius

Liuius. Habituri ſumus conſules ex plebe ſeditioſiſſimum quenq;. lib. 4. ab urb.

Aliquando & alijs modis circumloquuntur autores, ut Plinius de abſintheo:

De uſu eius conuenit dicere, herbæ facilimæ, atq; inter paucas utiliſsimæ. li. 27. capit. 7.

Verg. Petit ante alios pulcherrimus omnes 7. Aenei.

Turnus auis atauisq; potens.

III.

Orationes ſuperlatiuæ eleganti periphraſi in comparatiuos cum nihil, mutantur in hunc modum, ut:

Hic homo omnium impudentiſsimus eſt.

Hoc homine nihil eſt impudentius.

Terent. Quid ſene erit noſtro miſerius? In Heau.

Nihil horum temporum moribus corruptius.

Catull. O quid ſolutis eſt beatius curis? Ad Sirm.

Terent. Nihil dictu facilius. In Phor.

IIII.

Aliquando & ſine his caſibus ſuperlatiui inſeruntur orationi cum caſu tantũ poſitiui, ut:

Sueton. Armorum & equitandi peritiſsimus.

Cibi uiniq; appetentiſsmus.

Patri ſimillimus.

Fœminæ mundiciarum amantiſsimæ.

Vindictæ cupidiſsimæ.

## DE PARTICVLIS.

Quæ comparatiuis & ſuperlatiuis adduntur, eo, quo, tanto, quanto, comparatiuis iunguntur, ut:

Satyr. 8. Iuuen. *Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.*

Lib. 2. Fabius. *Quo quiſq; ingenio minus ualet, hoc ſe magis attollere ac dilatare conatur.*

*Quo quiſq; indoctior, eo impudentior.*

1. Offici. Cicero. *Vt rectè præcipere uideantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſsius geramus.*

*Multo & longè comparatiuis & ſuperlatiuis præponuntur, ut:*

Pro le. m Cicero. *Conſpectus ueſter multo iucundiſsimus.*

Lib. 2. Fabius. *Declamandi ratio ut eſt ex omnibus nouiſsime inuenta, ita & multo eſt utiliſsima.*

Libro 12. Cap. 11. Idem. *Longe omnium, quos quidem mihi audire contigit, præſtantiſsimus.*

### CVM COMPARATIVO.

Verg. *At pedibus longe melior Lycus.*

*Via uerò multo quàm uiſa erat, aſperior aſcendentibus.* Liuius Dec. 3.

*Quiſq; ſuperlatiuo ferè iungitur.*

*Moderatiſsimus quiſq; hæc turbulenta conſilia improbat.*

Liuius. Dum incautius ſubeunt, promptiſſimus quiſq; cadit. li.5.de.3.

Vt & ita, plerunq; ſuperlatiuis adduntur, ut:

Cicero. Vt enim quiſq́; optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, uarioſq́; euentus orationis, expectationemq́; hominū pertimeſcit.

Fabius. Quod ut longè optimum, ita difficilimum eſt.

Iunguntur & ſuperlatiuis, tam & quàm, ſed admodum raro.

Cicero in tam optima cauſa.

Teren. Nanq; adoleſcens quàm minime in ſpe ſitus erit, tam facillime. In Heau.

Boni patres pacem in leges conficiet ſuas.

Obſeruanda eſt & hæc formula Latinis autoribus uſitata, ut:

Cornelius Tacit. de moribus German. Auſpicia ſorteſq́; ut qui maxime obſeruant, id eſt, omnium maxime.

## REGVLA SEPTIMA.

Quæ partitionem ſignificant, aut collectionem, item genitiuos plurales adſciſcunt, ut:

Nemo hominum.

alter horum.

Pars ciuium.

Nulla fœminarum muta.

li. 1. offic. Cicero. Quarum altera exemplis, alter ſcientia te poteſt augere.

Ouidius.

4. Triſt. Magna minorq́; feré, quarum regis altera Graias,
Altera Sidonias, utraq; ſicca rates.

Offic. 1. Cicero. Quorum uterq; ſuo ſtudio delectatus contempſit alterum.

Vna ſabbatorum, ſubintelligitur die.

II.

Sic & comparatiua partitionem ſignificant, ut:

Maior iuuenum, id eſt, inter iuuenes.

Nam partitionem exponimus per particulas; de, e, ex, & inter, ut:

Concionatorem alij purè docent Euangelium, alij admiſcent uel affectus ſuos, uel phanaticas opiniones, id eſt, inter concionatores.

li. 1. Faſt. De Iano. Ouid. Solus de ſuperis qui tua terga uides.

Ex duobus filijs maior Cæſar.

Ouidius in Epiſt. ad Med.

Cum minor è pueris iuſſus ſtudioq́; uidendi
conſtitit ad geminæ limina prima foris.

III.

Vtimur autem comparatiuo, cum partitio

titio fit inter duo ſuperlatiuo, cum inter plura. Et comparatiuo uter, ſuperlatiuo quis interrogandi particula additur, ut:

*Manuum dextera agilior.*

*Ex duobus uter dignior eſt?*

*Ex pluribus quis digniſsimus?*

IIII.

Vim partitiuorum habent aliquando & pronomina, ut:

*Hæc auium canit.*

*Item numeralia, primus, ſecundus &c.*

*Liuius. Militum decimum quenq; ſecuri percuſsit.*

*Et interrogatiua, ut: Quis deorum?*

*Terent. Quot hominum?* In Andr.

*Quem bonorum non offendunt hæc?*

*Cicero. Quotus enim quiſq; philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ut ratio poſtulat.* li. 2. Tuſ.

V.

Alia item adiectiua nonnunquam uim partitiuorum habentia cum genitiuo conſtruuntur, ut:

*Plinius. Canum degeneres caudam ſub aluum deflectunt.* Li. 11. capit. 50.

*Idem. Nigræ lanarum nullum colorem bibunt.* Li. 8. capit. 48.

*Hoc genus orationis ad Helleniſmum quidam referunt.*

Vetu-

VI.

Vetuſtiſſimi uſurparunt particulam quis genere communi, ut Græci particulam τισ.

In Aulu. Ideo Plautus inquit.

*Quis ea eſt? Nam optima &c.*

*Ad hunc modum apud Terentium particula quiſquam uſurpatur genere communi, ſed ſequens ætas fœminino peculiarem uocem attribuit, quis, quæ.*

In Eunu. *Terent. Hunc oculis ſuis noſtrarum nunquam quiſquam uidit.*

*Idem. Quandoquidem illarum neq; quiſquam te nouit, neq; ſcit, qui ſies.*

## OCTAVA REGVLA.

Adiectiua quæ copiam, deſiderium notitiam, & contra ſignificant, genitiuos adſciſcunt, ut:

### COPIAE.

1. Aenei. *Ditiſsimus agri Phœnicum.*

2. Geor. *Verg. Diues opum uariarum.*

*Idem. Quàm diues pecoris niuei, quàm lactis, abundans.*

*Stultorum plena ſunt omnia.*

Eclog. 2. *Verg. Iouis omnia plena.*

1. Aenei. *Idem. Quæ regio in terris noſtri nō plena laboris?*

In Eunu. *Terent. Plenus rimarum ſum, hâc atq; illâc perfluo.*

Cicero

Cicero. de Catil. Vultus ipſius erat plenus furoris, oculi ſceleris, ſermo arrogantiæ. | Pro mur.

Idem ad Luceium, Multam etiam caſus noſtri tibi uarietatem in ſcribendo ſuppeditabunt, plenam cuiuſdam uoluptatis, quæ uehementer animos hominum in legendo ſcripto retinere poſſit. | li. 5. fam.

Terent. Poſtquam intus ſum omnium rerum ſatur. | In Adel.

Cicero Inops quidam humanitatis & inurbanus. | 2. de ora.

Sic dicimus, inops conſilij, mentis inops.

Oui. Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati Flere uetat. | Li. 1. El. 3

Idem, Sanguinis atq; animæ pectus inane fuit. | Lib. 8.

Lucan. Terra ſuis contenta bonis non indiga mercis Externæ. | Lib. 11.

Verg. Largus opus lingua melior, ſed frigida bello Dextera. | 4. Geor.

Idem, Trunca pedum primo.

DESIDERII.

Cupidus lucri.

Liuius.

Et ipſi iam pridem auidi certaminis procedunt. | li. 1. de. 1.

Plin. Vt eſt natura hominum nouitatis auida. | li. 12. c. 1.

Cicero. Contentionis cupidiores, quàm ueritatis. | De Ora.

Cicero. Quem in prouincia exiſtimationis meæ ſtudioſiſſimum cupidiſſimumq́; cognoui. | In C. uer.

Horat. Præter laudem nullius auaris. | In ar. po.

NOTITIAE.

1. Aenei. Ignarus hominumq́; locorumq́;.
Lib. 10. Verg. Neſcia mens hominum fati fortisq́; futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.
In hoc uerſu pro genitiuo gerundio infinitiuus poſitiuus eſt, ſeruare pro ſeruandi.
Idem, Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
6. Aenei. Idem, Præſcia futuri.
12. Aene Idem, Mens ſibi conſcia recti.
Oui. 1. fa. Conſcia mens recti, famæ mendacia ridet.
Peritus belli.
Sat. 5. Perſius, Arator luciferi rudis.
In art. po Horat. Indoctusq́; pilæ diſciue trochiue quieſcit.
In Andr. Terent. Adoleſcentes imperitos rerum in fraudem illicis.
10. Aenei Verg. Præſaga mali mens.
Ambiguus futuri.
li. 5. de. 1 Liuius, Incertus ſententiæ.

II.

Huc pertinent & hæc,
Fidens animi. Et,
2. Aenei. Amens animi.
4. Aenei. Verg Isq́; amens animi, & rumore accenſus amaro.
12. Aenei. Idem, Præſtans animi iuuenis, pro animo.
Ver. 4 ge Victus animi, pro animo.
Ver. li. 7. Sæuit inops animi.
Lib. 9. Apud Vergilium, Animi maturus Alethes.

Apud

Apud Plautum, Falſus animi.
Apud Liuium, Eſt & nimius animi. li. 6 ab ur
Idem, Tot populos inter ſpem metumq; ſuſpenſos animi habetis. li. 8 ab ur
Item apud Verg. Ingratus ſalutis, pro de ſalute. Lib. 10.
Idem, Sic & læta laborum, id eſt, de labore. Lib 11.

Aut cauſa uel gratia, conſuetudine græca, ſub intelligitur.

Cœcus animi, dixit Fabius.

III.

Sic memor & immemor genitiuo gaudent.

Memor præteriti.

Perſius, Viue memor leti, fugit hora. Sat. 5.
Luca. Præteritiq; memor flebat, metuensq; futuri. li. 2. bell.
Iuuen. Ergo uale, noſtri memor.
Verg. Nunc coniugis eſto. Lib. 10.
Quiſq; ſuæ, tectiq; memor.
Idem, Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus. 4. Aenei.
Idem, Quiq; ſui memores alios fecêre merendo. 6. Aenei.
Teren. Nam iſthæc commemoratio quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij. In And.
Ita & ſecurus. Verg. Hic ego ſecurus uulgi. 1. Aenei.
Idem, Securus amorum.

Compos item & impos uſitatius cum genitiuo iunguntur.

In Adelp. | Terent. Vix ſum animi compos, ita ardeo iracũdia.
li. 5. Tuſ. | Cicero. Omnes uirtutis compotes beati ſunt.
Ad Atti. | Idem. Qui ſuæ mentis compos non eſt.
In ca. 3 c. | Plaut. Eripite iſti gladium quæ ſui eſt impos animi.

IIII.

Ad eundem modum, & participia pleraq; genitiuo iunguntur, cum degenerant in nomina & uerborum ſuorum caſus amittunt. ut:

In Phor. | Terent, Fugitans licium.
Sall. Cupiens pecuniæ, Patiens inediæ.
4. Aenei. | Verg. Pertæſus tedæ & thalami.
9. Aenei. | Patiensq; laborum iuuentus.
Satyr. 7. | Iuuen. Metuens uirgæ iam grandis Achilles.
Satyr. 3. | Idem, Viue bidentis amans, & culti uillicus horti.
2. Aenei, | Verg. Fidens animi, atq; in utrunq; paratus.
5. Aenei. | Idem, Nanq; furens animi.
Lib. 1. | Lucan. Omnisq; poteſtas impatiens conſortis erit.

Nam pertæſus thalamum, Patiens inediam participia ſunt, nec ſignificant ἕξιν. Participia enim cum accuſatiuo præſentem modo actionem, cum genitiuo conſuetudinem & habitum quendam agendi ſignificant, ut:

In Catil. | Sall. Alienæ appetens, ſui profuſus.

Et ea participia ſiue nomina etiam comparantur, ut:

Verg.

Verg. Seruantiſsimus æqui. 2. Aenei.

V.

Reus item genitiuum adſciſcit, ut: reus furti.

Cice. Facere aliquem reum de ambitu. In Q. frā.

Idem. Alienæ igitur culpæ reum me facis. Ad Brut.

Liuius. Regni crimine inſons. li. 6. abur

Idem, Inſontem culpæ. Libr. 23.

Idem, In Faliſcos eodem noxeos crimine uis belli conuerſa. li. 7. dc. 1

VI.

Sed his, quæ copiam ſignificant, inuenies etiam ablatiuos adijci, ut: Ad Brut.

Cicero. Copijs abundans. Epiſto. 6.

Verg. Crura thymo plena. 4. Geor.

Ouid. Ambroſiæ ſocco ſaturos. 7. Meta.

Cicero. Nulla enim abs te per hos dies epiſtola inanis re aliqua utili, & ſuaui uenerat. li. 2 ad At

Horat. Diues agris diues poſitis in fœnore nummis. li. 1 ſe ſa 2

Plaut. Amor & melle & felle eſt fœcundiſsimus. In Ciſtel.

Cicero. Cum ſumus neceſſarijs negocijs curiſq; uacui. 1. Offic.

Verg. Nunc caſum lumine lugent. 2. Aenei.

VII.

Huc referri poſſunt & formulæ à captus, quæ priuationem ſignificant, ut:

1.Georg. Verg. atq; oculis capti fodere cubilia talpæ.
Vide Chi. Cicero, Sic oculis captus ſis ut Tireſias fuit.
Eraſmi. Idem, Mancus & membris omnib. captus ac debilis.
Pro Rab. Idem, Tam dedecet, q̃ delirare & mente captũ eſſe.
1. Offi Liuius, Oculis, auribus captus, pedibus captus,
li. 2. de 1.

VIII.

Adiectiua, item in ax uerbalia ferè cũ genitiuo conſtruuntur. ut:

*Tempus edax rerum.*

15. Meta. *Ouid. Sanctius his animal mentiſq; capacius altæ.*
*Verg. Illa ferax olei eſt.*
In ar. po. *Horat. Vtiliumq; ſagax rerum.*
li. 3. Car. *Idem, Iuſtum & tenacem propoſiti uirum.*
4. Aenei. *Verg. Tam ficti prauiq; tenax, quàm nuncia ueri.*

NONA REGVLA DE SYNTAXI
*nominis cum nomine in datiuo.*

Datiuos adſciſcunt, quæ ſimilitudinem, utilitatem, facilitatẽ, amicitiamq; & contra ſignificant. Datiuus enim caſus eſt, commodi & incommodi in nominibus ac uerbis, ut:

Ouid. 2. Met. *Fidus amico.*
*Amicus Cæſari. Par Homero.*

*Seneca, Nulla ſine deo mens bona eſt. Semina in corporibus humanis diuina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prode-*

*prodeunt, & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt.*

Liuius, Contrahit ſimilitudo eos, ut ferè fit, malum malo aptiſſimum. li. 1. ab ur

Iuuen. Aptusq́; bibendis fontibus Aonidum. Satyr. 7.

Cato, Proximus ille deo, qui ſcit ratione tacere.

Terent. Proximus ſum egomet mihi. In Andr.

Verg. Rebusq́; ueni non aſper egenis. 8. Aenei.

Iuuen. Iam grauis es nobis, & ſæpe emungeris, exi. Satyr. 6.

Vergilius fidus cum genitiuo poſuit. 12. Aenei

Præterea regina tui fidiſſima, dextra

Occidit ipſa ſua.

II.

Item adiectiua in lis, & in dus participia, ut:

Verg. Nec uiſu facilis, nec dictu affabilis ulli. 3. Aenei.

Horat. Hic tibi ſit potius, quàm tu miſerabilis illi. li. 1. epi. 1

Rem narras mihi incredibilem. Tollerabile nulli.

Liuius, Magis ſocijs quàm hoſtibus formidabiles.

Ouidius. li. 1. El. 4

O mihi poſt nullos unquam memorande ſodales.

Adiectiua quæ ad hanc regulam pertinent, hæc ferè ſunt,

| | | |
|---|---|---|
| Propius | Contrarius | Abſonus |
| Communis | Iniurius | Obuius |
| Familiaris | Moleſtus | Inuius. |

| | | |
|---|---|---|
| Similis | Grauis | Peruius |
| Affinis | Infeſtus | Deditus |
| Idoneus | Inuiſus | Obnoxius |
| Socius | Alienus | Aduerſus |
| Vicinus | Conſentaneus | Gratus |
| Propinquus | Conſonus | Ingratus |
| Dulcis | Congruus | Cognatus |
| Acerbus | Amicus | Vtilis |
| Iucundus | Inimicus | Neceſſarius |
| Iniucundus | Aequus | |
| Aptus | Iniquus | |
| Ineptus | Propitius | Et alia pleraq; |

14. Meta Ouid. *Inuia uirtuti nulla eſt uia.*

li. 1. ad At Cicero. *Non aliena rationi noſtræ.*

Pro Cor. Idem, *Id dicit, quod illi cauſæ maxime eſt alienum.*

In Epiſt. Cicero. *Quis alienum putet eius dignitatis, quàm mihi quiſq; tribuit?*

Iuuen. *Vos anguilla manet longæ & cognata colubræ.*

*Sed tamen ex his quædam & genitiuo adhærent, ut:*

*Amicus imperatoris. Socius furum.*

III.

Quædam item accuſatiuo cum præpoſitione, ut:

*Idoneus ei rei, & ad eam rem.*

*Alienus etiam ablatiuo iungitur, aliquando & addita præpoſitione.*

Cicero

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0042-5

Cicero. Homo non alienus à literis. In Verr.
Idem, Ab altero non alienos animos habemus. De Amic
Idem, Non putaui alienum inſtitutis meis hæc ad te ſcribere. In Epiſt.

IIII.

Sed ſimilis etiã genitiuos adſciſcit, ut: Domini ſimilis.
Terent. Similis eſt maiorum ſuûm. In Adel.
Idem, Ita tui ſimilis eſt probè. In Heau.

Proprius aliquando datiuum, aliquando genitiuum adſciſcit, ut:
Plaut. Amatorem tibi proprium. In Moſt.
Cicero. Eius uirtutis munus hoc eſt proprium. 1. Offici

REGVLA DECIMA.

Adiectiua Græca conſuetudine accuſatiuos partem ſignificantes adſciſcũt. Vt: Nuda genu.

Et glacialis hyems canos hyrſuta capillos. 1. Aenei.
Verg Omnia Mercurio ſimilis uocemq́; coloremq́; 4. Aenei.
Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.
Idem, Atq; notis longã maculoſus grandibus aluum. 3. Georg.
Idem, Dira illuuies, immiſſaq; barba. 3. Aenei.
Conſertum tegmen ſpinis, ad cætera Graius.
Idem, Ita Creſſa genus Pholoe. 5. Aenei.
Sueton. Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enurmi, gracilitate maxima ceruicis & cru- De Cali.

rum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa uerticem nullo, hirſutus cætera.

li. x. ab ur Liuius, Ergo uirum cætera egregium ſecuta, quam in petendo habuerat etiam regnantem ambitio eſt.

Grammatici ſynecdochen uocant, id eſt, compræhenſionem, ſignificat enim nomen totius ad partem tantum referri. Cum dico, Aethiops albus dentes, nomen albus, totum Aetiopem ſignificat, uerum quia accuſatiuus dentes ſubijcitur, detorquetur & nominatiuus tantum ad partem.

De hac figura infrà plura dicemus in uerbis.

## VNDECIMA REGVLA.

Ablatiuus inſtrumenti cauſæ uel materiæ ſubijcitur pleriſq; adiectiuis, ut:

In Hedut. Terent. Deteriores omnes ſumus licentia.

li. 5. ab ur Liuius, Bellum numero hoſtium ingens, certamine haud ſanè aſperum fuit.

CAVSAE, ut:

Laſſus cura. Feſſus curſu.

3. Aenei. Lætus honore, imperio, apud Vergilium.

Rerum ſucceſſu tumidus, ebrius.

In Dom. Sueton. Inopia rapax, metu ſæuus.

In his ferè intelligitur, præ, propter uel ob.

In Catil. Salluſt. Delecti quibus corpus annis infirmum, ingeni-

genium ſapientia ualidum erat.
contentus modico, paucis.

Verg. Non unquam grauis ære domum mihi dextra redibat. Eclog. 1

Idem, Fœlix nati pietate. 3. Aenei.

Potens pecunia, & potens à pecunia.
Vergilius cum genitiuo poſuit, ut participium.
Nimborumq́; facis tempeſtatumq́; potentem. 1. Aeneid.
Confectus cura, ſenio, morbis, labore.
Præceps ambitione.

Claud. Et cæco præceps audacia uultu. li. 1. in Ru

Præditus uirtute.
Sunt autem hi ablatiui, cum quibus ferè conſtruitur præditus.

Præditus ingenio, artibus & arte ornamentis, prudentia, autoritate, dignitate præditus, religione, item & poteſtate, ſtudio, exercitatione, conſilio, optima ſpe præditus, uirtute, conſtantia, grauitate, ſapientia, gloria, iudicio.

Cicero, Mens eſt motu prædita ſempiterno. In Tuſ.

Terent. Tali ingenio præditus. In And.

Vitio præditus, metu, opibus.
Facultatibus, ætate, præditus.
Summo magiſtratu præditus.
Singulari bonitate, modeſtia.
Amplißimo ſacerdotio, miſeria præditus.
Amentia præditus, atq; audacia.

Cupi-

Cupiditate, ſcelere, crudelitate, leuitate, egeſtate, perfidia, animo, ſenſibus perditus.

Et hæc ferè apud Ciceronem ſunt &c.

Orbus parentibus.

li.2.de.3. Liuius. Annibal æger oculis ex uerna intemperie.

Cicero, Aeger pedibus.

Li.1. Car Od.22. Horatius pro ablatiuo genitiuo uſus eſt, ut:

Integer uitæ.

Sed illud quod ſequitur, figuratum eſt,

Purus ſceleris, pro à ſcelere.

Materiæ uel formæ.

1. Aeneid Verg. Duplicem gemmis, auroq; coronam.

Eclo.5. Idem, At tu ſume pedum.

Formoſum paribus nodis atq; ære Menalca.

II.

Huc referri poſſunt & quæ patriam, uel nationem ſignificant, ut:

Generæ Andria, natione Syrus, patria Lesbius,

III.

Immunis, alienus addunt ferè præpoſitiones, ut:

Immunis à bello.

li.1.ab ur Liuius, Immunis militia.

Idem cum genitiuo poſuit, Lib. 7. ab urb.

Immunes operum miliarium.

Alienus à me, & alienum dignitate. Sed de hoc uide ſuprà.

Et apud Cornelium, *Vacuus à periculo animus fuit.*
*Vacuus ab odio, & uacuus ira.*
Cicero, *Lucus uacuus ab omni turba.* 5.Tuſ.
Idem. *Gladius uagina uacuus.* In quo exemplo & hypallage eſt.
Idem, *Animus per ſomnum ſenſibus & curis uacuus.* De diuin.
Idem, *Nihil inſidijs uacuum uideo.* 4.Famil.
Idem, *Hora nulla uacua periculo, aut periculi expectatione fuit.* Ante exi.
Salluſt. *Ager frugum uacuus.* In Iugur.

*Poſſunt & hæ formulæ referri ad adiectiua plenitudinis & inopiæ.*

IIII.

Dignus & indignus ſimpliciter ablatiuos adſciſcunt, ut:

Horat, *Dignum laude uirum muſa uetat mori.* 4.Carm.
Verg. *Quiq; pij uates & Phœbo digna locuti.* 6. Aenei.
Perſius, *Et cedro digna locutus.*
Ouid. *Simplicitas digna fauore fuit.* In Epiſt. Phyllid.
Iuuen. *Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.* Satyr. I.
*Si uis eſſe aliquis, probitas laudatur & alget.*
Terent. *Non te dignum feciſti.* In Eunu.
Idem, *Hoc uerò illo dignum eſt.*

*Vergilius pro ablatiuo genitiuo uſus eſt, Lib. 12. Aeneid.*

Deſcen-

Deſcendam magnorum haud unquam indignus auorum.

V.

Additur & ablatiuo inſtrumenti uel cauſę aliquando præpoſitio à uel ab, ut:

In Epiſt. Cicero, Antonius ab æquitatu firmus dicebatur.

li. 8. fam. Idem, Paratus ab exercitu.

Ad at li. 7 Idem, Sumus flagitioſe imparati cum à militibus tum à pecunia.

De cla or Idem, Ille Græcus ab omni laude fœlicior.

Pro roſc. Idem, Vir ab innocentia clementiſsimus.

Cicero, Inſtructus à philoſophia naturali, ab hiſtoria.

In Brut. Idem, Mediocriter à natura inſtructus.

Aliquando ex additur.

Pro rab. Cicero, Demetrius ex doctrina nobilis & clarus.

REGVLA DVODECIMA.

Variæ ſunt formulæ deſcriptionis, laudandi aut uituperandi: Aliquādo enim genitiuo latini utūtur, ſæpius ablatiuo, nonnunquam nominatiuo & ablatiuo. rarius nominatiuo & accuſatiuo per Synecdochen, quæ figura orationis poëtica eſt. Exempla de genitiuo.

Lib. 6. Colum. Aſinus ampliſsimi corporis, ceruice ualida.

li. 1. ab ur Liuius, Iuuenis ardentis animi.

Idem

Idem in præfatione, 3. Decad. Angebant ingentis ſpiritus uirum Sicilia Sardiniaq; amiſſæ.

Idem, Ipſum ut ambiguæ fidei uirum ſuſpectum iam pridem habebant. li. 4. de 3.

Liuius, Democles erat Argiuus adoleſcens maioris animi, quàm conſilij. li. 4. de 4

Iuuen. Ingenij uultus puer, ingenuiq; pudoris. Satyr. 11.

Cicero. Vel quas proxime acceperam quàm prudentes, quàm multi officij & conſilij. 2. Fam.

De Ablatiuo.

Terent. At ita ut fide fuit quiſquam optima. In Andr.

Idem, Forte unam aſpicio adoleſcentulam, forma & uultu adeò modeſto, adeò uenuſto, ut nihil ſupra. In Andr.

Idem, Homo antiqua uirtute & fide. In Heaut.

Verg. Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ. 1. Aenei.

Capreoli ſparſis pellibus. Eclog. 7.

De Nominatiuo & Ablatiuo.

Verg. Ambo florentes ætatibus. Eclog. 7.

Idem de Pygmalione.

Scelere ante alios immanior omnes.

Idem, Tū pietate grauē, & meritis ſi fortè uirū quē Conſpexêre ſilent, arrectiſq; auribus adſtans. 1. Aenei.

Ouid. Ennius ingenio maximus, arte rudis. 2. de Tri.

Verg. Forma pulcherrima Dido. 1. Aenei.

Clarus ingenio, armis, maiorum imaginibus.

Cornelius Cel. At imbecillis ſtomacho, quo in numero li. 1. ca. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0049-7

mero magna pars urbanorum, omnesq; penè cupidi literarum ſunt.

In Zoilū. Martialis, Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus.

In accuſatiuo uel ſynecdochicôs, ut:

Ver. 1. Ae Nuda genu, pro nudis pedibus, uel Græco more, & per participia paßiua, quod poëtis duntaxat uſitatum eſt, ut:

li. 1. Faſt. Ouid. Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat.

Epiſt. 2. Horat. Hæc recinunt iuuenes dictata ſenesq;.

Læui ſuſpenſi loculos tabulamq; lacerto.

De hac figura infrà in ſynecdoche uerborum dicemus.

Obſeruabis tamen, quædam in ablatiuo mollius ſonare, ut: Vir magno natu, uel magnus natu.

Quædam in genitiuo, ut: Cicero ad Octauiū. Marcus Antonius uir animi maximi, utinam etiam ſapientis conſilij fuiſſet.

## REGVLA TREDECIMA.

Varia eſt Syntaxis uocis opus, ſed ablatiuum ſæpius adſciſcit, ut:

Lib. 7. Cicero, Opus eſt huic limatulo tuo iudicio.

6. Aenei. Verg. Nunc animis opus Aenea, nūc pectore firmo.

In Andr. Terent. Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro.

In Sall. Cicero, Vbi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſt uerbis.

II.

Nonnunquam præcedit nominatiuus.

Cicero, *Dux & autor nobis opus eſt.* li.2. Epi.
Liuius, *Simul quæ uulneri curando opus ſunt parat.* li.1. ab ur
Terent. *Atq; alia, quæ opus ſunt comparet.* In Heaut.
Cicero, *Tu quæ iſthic opus erunt adminiſtrari proſpicies.* 15. Fami.
Idem, *Video mihi opus eſſe uiaticum.* 15. Ad at.

*Rarum eſt, opus eſt nobis hanc rem.*

Idem, *Dices nummos mihi opus eſſe ad paratum triumphi.* ad at. li.6

III.

Aliquando pro ablatiuo infinitiuus ponitur, ut:

Cicero, *Hoc fieri & oportet, & opus eſt.* ad at. li 13.
Terent. *Sed nunc peropus eſt, aut hunc cum illa, aut me aliquid aduerſus hunc de illa loqui.* In And.

*Et pro eo infinitiuo aliquando participium uſurpatur.*

Salluſt. *Facto nō conſulto in tali periculo opus eſſe.* In Catil.
Idem, *Incepto opus eſt.*
Cicero, *Mihi quæſito opus eſt, pro quærer.* In parad.

*Sic dicimus, Maturato opus eſt.* li.4. de 3
*Tranſcurſu tibi opus eſt in arcem.* In Hecy.
*Sic, Dicto opus eſt, Terentius.* In Heaut.

*Et de his quidem infrà.*

IIII.

Latini imitati Græcam uocem, dixerũt uſus eſt, pro opus eſt.

*Vt apud Plautum in Aſinaria,*

*Viginti iam uſus eſt filio, argenti minis.*

*Verg. Neq; erat corijs uſus.*

In Heaut. *Terentius.*

*Mihi ſic uſus eſt, tibi ut opus eſt facto face.*

*An cuiquam eſt uſus, ſe ut cruciet?*

REGVLA DECIMAQVARTA.

Figuram appoſitionem dixerunt, cum duo ſubſtantiua, eandem rem ſignificantia, ſine coniunctione ponuntur in eodem caſu, quorum alterum alterius declarandi cauſa additur propemodũ adiectiui more, hoc modo:

1. Metam *Ouid. Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

*Poſterius ſubſtantiuum declarandi cauſa acceſſit, ideoq; propemodum induit adiectiui naturam.*

Epiſt. 1. ad Nu. *Sic Horatius,*

*Et genus & formam regina pecunia donat.*

*Id eſt, regnans.*

*Liuius, Clariſſimas urbes lumina quondam Græcia ſub tuis pedibus relinquemus?*

3. Aenei. *Verg. Solamenq; mali de collo fiſtula pendet.*

li. 3. ab ur *Liuius, Reſpicerent tribunal caſtellum omnium ſceleris.* *Pli-*

Plinius, Lupum piſcem non uidit Italia.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ, id eſt, Iſrael puerum ſuum ſuſcepit Deus,

Nam in hoc Terentiano, Aſſero hanc liberali causa, manu, non eſt appoſitio, ſed liberali cauſa, eſt ablatiuus ſignificans cauſam. In Adelp.

Et, manu aſſerere, phraſis latina eſt, pro in libertatem uindicare. li. 3. de r.

Liberali cauſa, id eſt, cauſa recuperandæ libertatis, ſeu uindicandi in libertatem.

# DE SYNTAXI VERBORVM.

NVNQVAM integra ſententia, ſine uerbo, ex ſolis nominibus conſtat. Quare cum nominibus certa quadam ratione uerba coagmentantur.

## PRIMA REGVLA.

Nominatiuus præcedit uerbum perſonale finitum, ſimili numero & perſona, ut:

Ego lego, Tu legis, Hic legit.

Nam pronomina naturam nominum habent.

*Ferrum tuetur principem, melius fides,*
*Ocia dant uitia.*

*Salluſt. Ingenium ubi intenderis, ualet.*
*Mens regnum bona poßidet.*

*Dico perſonale, quòd impersonalia ante ſe nominatiuum non habent, ſed aliquem ex obliquis.*

*Et finitum, propter infinitiui modi uerba, quorum proprius caſus eſt accuſatiuus præcedens, ut infrà dicetur.*

II.

Vtimur autem uerbis primæ & ſecundæ perſonæ, diſſimulatis pronominibus, ut:

5. Aenei. *Verg. Superat quoniam fortuna ſequamur.*
3. Aenei. *Idem, Viuo equidem, uitamq; extrema per omnia duco.* *Ouidius,*
Lib. 3. de ar. *Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ,*
*Sic nullum uobis tempus abibit iners.*

III.

Pronomina tamen uel emphaſis, uel diſcretionis cauſa aliquando addũtur.

*Vergilius.*

1. Aenei. *Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu ſceptra Iouemq;*
*Concilias, tu das epulis accumbere diuûm.*
Eclog. 1. *Idem, Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.*

*Formoſom reſonare doces Amaryllida ſyluas.*

*Idem, Tu potes unanimes armare in prælia fratres.* 7. Aenei.

*Terent. Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci.* In Heaut.

*Collocupletaſti te, & me in his deſeruiſti malis.*

*Tu ais, ego nego.*

IIII.

Tertia perſona ſine nominatiuo in uerbis perſonalibus non utimur, præterquam in illis, quæ ſunt tanquam imperſonalia, pluit, tonat, luceſcit, ueſperaſcit ſolet, poteſt, ferunt, aiunt, perhibent.

*Verg. Aureaq́; ut perhibent, illo ſub rege fuerunt* 8. Aenei.
*Secula, ſic placida populos in pace regebas.*

*Et de his infrà.*

V.

Duo ſingularia poſtulant plurale uerbum, ut:

*Verg. Furor iraq́; mentem præcipitant.*

*Quod & in nominibus fit, nempe, ut duobus ſingularibus reſpondeat adiectiuum plurale, ut: Odium & metus peßimi ad diuturnitatem cuſtodes.*

VI.

Eſt cum infinitiuus, aut tota oratio infinitiua, pro nominatiuo græca conſuetudine uſurpatur, ut:

1. Faſt. Ouid. Nullus erat, iuſtis reddere iura, labor.

Sat. 1. Perſius, At pulchrum eſt, digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

2. de arte aman. Ouid. Nec facile eſt, æqua commoda mente pati.

In Catil Saluſt. Nam idem uelle atq; idem nolle, ea demum firma amicitia eſt.

Ouidius,

2. de pon Eleg. 9. Adde, quòd ingenuas didiciſſe fideliter artes emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Verbum emollit, reſpondet his tanquam nominatiuo, didiciſſe artes fideliter. Græci ſic, τό μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη.

Hunc infinitiuum circumloquimur finito uerbo, adiecta particula quòd. Delet Turcis, quòd ab obſidione Viennenſi repulſi ſunt, id eſt, repulſos eſſe.

## SECVNDA REGVLA.

Vocatiui ſecundæ perſonæ & imperatiuis præponuntur, ut:

Vergilius.

6. Aenei. Tu regere imperio populos Romane memento.

2. Aenei. Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Eripe nate fugam.

II.

Nonnunquam & ſine uerbo inſeruntur orationi, ut:

Vergilius,

O ſocij neq; enim ignari ſumus ante malorum. 1. Aeneid

O paßi grauiora, dabit deus his quoq; finem,

Idem,

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras? 2. Aenei.

Nate dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit? 1. Aeneid.

O Melibœe deus nobis hæc ocia fecit. Eclog. 1.

III.

Nominatiui pronominum propter emphaſin interdum adduntur uerbis ſecundæ perſonæ, ſicut uocatiui, ut:

Verg. Exoriare aliquis noſtris ex oßibus ultor. 4. Aenei.

Cicero, O nox illa, quæ tenebras attuliſti.

Tibullus, Idem ſi fas eſt mos præcor ille redi.

TERTIA REGVLA DE NOMInatiuo poſt uerbum.

Verbum finitum ſequitur aliquando nominatiuus, ſignificans geſtum uel ſtatũ, & exponi poteſt per aduerbium, ut:

Dormit ſecurus.

Bibo ieiunus.

It cubitum incœnatus.

Verg. Pronusq; magiſter Voluitur in caput. 1. Aenei.

Idem, Nanq; ut conſpectu in medio turbatus inermis. 2. Aenei.

Conſtitit.

3. Aenei. Idem, *Medio reſupinus in antro Frangeret ad ſaxũ.*

10. Aenei Idem, *Eiectóq; incumbit cernuus armo.*

*Veneremur cernui.*

3. Georg. Verg. *Et magno læti clamore reportant.*

li. 3. ab ur Liuius, *Sordidatus prænſabat homines.*

Sueton. *Cum producerentur catenati.*

Idem in Auguſt. *Euenit, ut laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinis.*

### II.

Huc referendæ ſunt & formulæ græcæ. Græci enim pro aduerbijs loci & temporis nomina uſurpare ſolẽt, quod & Latini aliquando imitati ſunt, ut:

8. Aenei. *Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat.*

*Hic matutinus in ſyntaxi ſequitur uerbum, agebat ſe matutinus, id eſt, mane.*

3. Georg Idem, *Non lupus inſidias explorat ouilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat.*

3. Georg Idem, *Cæca nocte natat freta ſerus.*

*Exempla huius generis Græca ſunt, ut:*

2. Iliad. Homerus, Ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ εὗδον παννύχιοι.

Nocturni per totã noctem. Idem, οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

*Ad hanc regulam pertinet ſyntaxis in uerſu Vergilij.*

1. Georg. *Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.*

Debi-

Debita quam ſulcis committas ſemina &c. Nam Eoæ non eſt adiectiuum præcedens uerbum, ſed ſequitur Græco more, & per aduerbium enarrari debet, Atlantides abſcondantur Eoæ, hoc eſt, matutinæ, id eſt, Pleiades occidant mane coſmico occaſu, antequam committas ſemina ſulcis.

Eſt enim ſententia, ſerendum eſſe triticum mēſe Octobri, cum mane occaſu Coſmico Pleiades è regione ſolis occidunt.

Simili figura utitur Heſiodus in deſcriptione Veris, cum docet Veris inicium eſſe, quando Arcturus conſpicitur, initio noctis exoriens.

ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον ὠκεανοῖο.
πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκροκνέφαιος

Id eſt, Tunc Arcturus primum apparens oritur nocturnus, id eſt, initio noctis, uidelicet, ortu chronico, ut nunc uocant. Poëta dixit ἀκρονέφαιος, ſicut aliâs ἀκρονύκτιος dicitur, è qua uoce retinemus mutilatam appellationem Chronici ortus, quaſi dicas Achronychij ortus, uel Acronyctij.

Apud Aratum innumera ſunt huius figuræ exempla, ut de Pleidibus inquit, ἄλλ᾽ ὀνομασαὶ ἠοι καὶ ἑσπεριαι ζεὺς δ᾽ ἄτιος εἱλίασονται.

Id eſt, Sed celebres mane & ueſperi circumaguntur, deo autore.

Etſi autem hîc nuda præcepta ſyntaxeos tradimus, tamen obiter uiſum eſt, taxare ignauiam illo

 rum,

rum, qui cum interpretantur Poëtas, non dant operam in talibus locis, ut ipſas etiam ſtellas adoleſcentibus monſtrent, & ortus & occaſus breuiter oſtendant, præſertim cum nec uerba rectè iungi poßint, nec Grammatica interpretatio erui ſine hac diligentia. Accendunt & aliæ multæ cauſæ, quare proſit in loco & oportune cœleſtes motus aut ſtellas oſtendere. Nam animi hominum, propter cognationem, quam habent cum cœlo, mirifice delectantur illarum rerum conſideratione. Itaq; tales illecebræ accendunt ſtudia, & quædam cura digna bonis ingenijs eſt, intelligere, quomodo ortus & occaſus diſtinguant tempora. Quid quòd illæ ipſæ certißimæ leges motuum nos admonent, ut cogitemus nos ad cognoſcendum opificem Deum, & ad immortalitatem conditos eſſe. Quare peculiaris diligentia in his locis autorum, ubi fit mentio ſtellarum, adhibenda eſt, ut teneri animi ſtatim admirari res tantas & amare earum ſtudia incipiant.

## QVARTA REGVLA.

Verba ſubſtantiua præcedunt & ſequuntur nominatiui. Sunt autem ſubſtantiua, ſum, forem, fio, exiſto, quòd ſubſtantiam, non actionem ſignificant, Vt: Cato,

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt.

Gellius. Lib. 5.

Equus Alexandri & capite & nomine Bucephalus eſt, Senes bis pueri ſunt.

Ouidius in Epiſt. Pene ad Vlyſ.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

II.

Obſeruabunt & hîc ſtudioſi, infinitiuos pro nominatiuo poſitos, ut:

Non eſt opulentia, multa poßidere, ſed paucis rectè uti.

Ouid. ad Parid.

Eſt uirtus, placitis abſtinuiſſe bonis.

In quo uerſu ſunt ordinanda uerba hoc modo.

Abſtinuiſſe placitis bonis, eſt uirtus.

Horat. 1. Epiſt. 2.

Virtus eſt, uitium fugere, & ſapientia prima Stultitia caruiſſe.

Perſius, Vſq; adeone — Satyr. 3.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter?

III.

Fama, eſt malum. — 4. Aenei

Humor, eſt dulce ſatis. — Eclog. 3.

Varium & mutabile ſemper fœmina. — 4. Aenei

Nam hoc modo ex adiectiuis fiunt ſubſtantiua genere neutro.

IIII.

Sed

Sed hic monendi ſunt pueri Latinos ſæpe Ellipſi uti, omiſſo uerbo ſubſtantiuo,

1. Aeneid Verg. Sed uos qui tandem.
Satyr. 13. Iuuen. Rari quippe boni.
1. Aenei. Verg, Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.
2. Georg Idem, Nec requies, quin aut pomis exuberet annus.
6. Aenei. Verg. Sed famam extendere factis.
Hoc uirtutis opus.

V.

Et nuncupandi uerbis nominatiui adduntur, ut:

Princeps Saxoniæ uocatur præfectus prætorio.
Bonoſus imperator, cum uitam laqueo finiſſet, uocatus eſt amphora pendens.
Balbus tuba belli ciuilis appellatus.
Ariſtæus oliuæ inuentor dicitur.
Ad at li. 5 Cicero, Rex à ſenatu adpellatus eſt.
5. Fam. Idem, Imperator adpellatus apud Iſſum.
Pro plan. Idem, Ergo ego committerem, ut proditor reipub. nominarer?

VI.

Huc pertinent & quæ eorum uim habent, ut:

Carolus deſignatus eſt Romanus Imperator.
Cicero. Ille ſalutatur doctor.

Cicero, Ab ijs qui dicendi numerabantur magiſtri. de op. ge.
Idem, Omnes qui attici numerantur. orat.

Vergilius,

Mens immmota manet, lachrymæ uoluuntur inanes. 4. Aenei.
Aſſentatur non manet ſui ſimilis in aduerſa fortuna.

Horat. Deſcriptas ſeruare uices, operumq́; colores. De arte.
Cur ego, ſi nequeo, ignoroq́;, poëta ſalutor?
Heſiodi liber inſcribitur, Opera & dies.
Cicero, ille auditur fuiſſe perhibetur.
Adde his, fertur, uidetur, habetur, item alia quædam.

Cicero, Dalmatæ ſemper habiti ſunt bellicoſi. li. 5. fam.
Idem, Themiſtocles cum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. li. 1. Tuſ.
Verg. Conſilijs habitus non futilis autor. 11. Aenei.
Græcum eſt, Hic cupit audire Theologus, id eſt dici.
Sed hic obſeruent pueri formulas nominandi, Dicunt enim Latini uarie.
Eſt mihi nomen Pomponius, apud Terent.
Eſt mihi nomen Pomponij, apud Plautum.
Eſt mihi nomen Pomponio. Qua formula maxime delectantur eruditi.

Terent. Hecyra eſt nomen huic fabulæ. 1. Aenei.
Verg. At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo. Additur, Ilus erat.

In Amph. Plaut. Nomen Mercurij eſt mihi.

li. 4 dc. 4 Liui. Scipio, cui Africano fuit cognomen.

li. 1. ab ur Vetus eſt, Fecerunt illi nomen Aſcanium, apud Liuium,

Atq; haſtenus de nominatiuo ante uerbum, & poſt uerbum.

DE FIGVRIS.

Nominatiui & uerbi ſyntaxes tradidimus, priuſquam autem oſtendamus, quomodo obliqui cum uerbis cohæreant, recenſebimus figuras conſtructionis, quas ita uocant, cum ab Analogia & communi regula breuitatis cauſa diſceßit conſuetudo, ut:

Ego & meus miniſter propere adcurrimus bellè dicitur contra analogiam. Si analogiam ſequeris, eſt odioſa repetitio. Ego adcurro, & miniſter adcurrit.

SYNTHESIS.

Compoſitio.

Syntheſis eſt, cum nomini multitudinis ſingulari reſpondet uerbum uel adiectiuum plurale. Nam ad intellectum refertur conſtructio, ut:

Turba ruunt.

Oui. penel. Vlißi Gens armati.

Gens uniuerſa Veneti appellati. Liuius.

Pro ſe quiſq; precari cœperunt. Cur. li. 3.

Terent. Aperite aliquis actutum oſtium. In Adelp.

Verg. Quiſq; ſuos patimur manes. 6. Aenei

Hæc cum quiſq; ad prolepſin refert Linacer.

Verg. Pars epulis onerant menſas. 1. Aeneid.

Pars in fruſta ſecant, ueribusq; trementia
Figunt.

Idem, Pars ueniemus Scythiam. Eclog. 1.

In hoc exemplo Ellipſis præpoſitionis eſt, & Euocatio.

Ouid. Pars uolucres factæ. 4. Meta.

Liuius, Maxima pars ab equitibus in flumen acti. li. 1. ab ur

Verg. 6. Aeneid.

Hic manus ob patriam pugnando uulnera
paſſi.

Liuius, Emeriti ſtipendijs pars magna uoluntariorum ad nomina danda præſto fuerunt. li. 3 ab ur

Salluſt. Maxima pars uulnerati aut occiſi. In Iugur.

Talia ſunt & hæc,

Curtius, Samnitium cæſi tria milia.

Duo milia crucibus affixi.

In Apocal. Duodecim milia ſignati.

II.

Eſt & in his ſyntheſis.

Eunuchus mea.

Miles Plautina.

In Eunu. Terent. Scelus poſtquam ludificatus eſt uirginem.

In Eunu. Idem, Dij deæq; omnes illum ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt.

Item in hoc Vergiliano.

5. Aenei. Centauro inuehitur magna.

Vbi centaurus nomen nauis in fœminino genere ponitur.

8. Aenei. Et in hoc, Præneſte ſub ipſa.

Non tantum enim quæ numero, ſed quæ genere diſcrepant, aliquando coniunguntur, cum ad ſenſum, non ad uerbum refertur conſtructio.

Etſi omnia hæc ſub Syllepſi quidem comprehendi debere uolunt.

Sunt autem momina multitudinis, quæ collectiua Grammatici & diſtributiua uocarunt, quòd ſingulari numero aliquam multitudinem ſignificant, ut:

Gens, plebs, populus, turba, manus, cohors, legio, ſenatus, exercitus, quiſq; &c.

Contraria his ſunt, quæ plurali numero unam rem ſignificant, ut, Athenæ, mœnia, cunæ, cancelli, &c.

III.

Conſtructio eſt ad intellectum referenda & in his uerbis, pluit, tonat.

Hic enim omittitur nomen, quod non ſolet fieri in alijs perſonalibus uerbis. Quare Grammatici

hæc

hæc uerba, pluit, ningit, tonat, ſulgurat, inquiunt, aiunt, perhibent, uocauerunt uerba exemptæ actionis, intellectu tamen attimus nomen, homines aiunt, cœlum tonat, cœlum ſulgurat.

Tibullus,

Multus & in terris depluueretq; lapis. li.2.El.6.

Interdum additur obliquus, ſæpius ablatiuus, rarius accuſatiuus, ut: Pluit lapides, & pluit lapidibus.

Lacte pluit, & ſanguine, & carne, & lapidibus, apud Liuium ſæpe poſitum inuenias. li.1.ab ur li.3.ab ur

## ZEVGMA,

### Adiunctio.

Eſt, cum multis ſubſtantiuis unum uerbum ſeu adiectiuum additum, conſentit cum propiore ſubſtantiuo.

Vergilius.

Semper honos, nomenq; tuum laudesq; manebunt. 1. Aenei.

Idem, Hic illius arma, hic currus fuit. Eodem.

Socijs & rege recepto.

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes. Eclog. 2.

Nihil hic, niſi carmina deſunt. Eclog 8.

Hebræi ſunt & ego. Paulus.

Cicero ex Platone. Non nobis ſolum nati ſumus, ortusq; noſtri partem ſibi uendicat patria, partem amici. 1. Off.

In Cato. Idem, Non curia uires meas deſiderat, non noſtra, non amici, non clientes, non hoſpites.

In And. Terent. Vtinam & hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit.

Eclog 7. Verg. Caper tibi ſaluus & hœdi.

In ſo. Sci. Cicero, Ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra republica percunctatus eſt.

In Catil. Idem, Nihil ne te nocturnum præſidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus ſenatus habendi locus, nihil horum ora uultusq́; mouerunt?

Intereſt uerò inter Syllepſin & Zeugma, quòd in zeugmate uerbum uel adiectiuum ſemper reſpondet propiori ſubſtantiuo, ut:

Hic illius arma, hic currus fuit.

Matth. 2. Turbatus eſt rex Herodes, & omnis Hieroſolyma cum eo.

Eclog. 4. Verg. Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

Sed in ſyllepſi reſpondet uerbum digniori, & mutatur numerus, ut:

Nec deus nec dea dignati ſunt.

## SYLLEPSIS,
### Comprehenſio.

Longius degenerat ab analogia, nam hîc

hic multis ſubſtantiuis ita uerbum aut adiectiuum adijcitur, ut conſentiat non cum propinquiore ſubſtantiuo, ſed pręſtantiore, Porrò plurales numerus præſtat ſingulari, maſculina fœmininis, prima perſona ſecundæ, ſecunda tertiæ.

*Linacer affirmat neutra fœmininis præſtare.* Lib. 6. de figuris.

## REGVLA PRIMA.

Duobus uel pluribus ſubſtantiuis rerum inanimatarum ſubijcitur adiectiuũ uel relatiuum plurale neutrum, idq́ȝ cõſuetudine græca fieri dicitur, ut:

*Lunam & ſtellas quæ tu creaſti.*

Verg. *Cum Daphnidis arcum* Eclog. 3.
*Fregiſti & calamos, quæ tu peruerſa Menalca.*
*Et cum uidiſti puero donata dolebas.*

*Liuius, Tuam & adoleſcentiam, & perpetuam fœlicitatem, ferociora utraq;, quàm quietis opus eſt conſilijs, metuo.* li. 10. belli Pun, ſecũ.

*Salluſt. Genus, ætas, eloquentia, prope paria fuerunt.* In Catil.

*Idem, Præterea diuitiæ, decus & gloria, in oculis ſita ſunt.*

*Idem, Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes,* In Catil.

rapinæ, diſcordia ciuilis grata fuerunt.

li.3. de 6. Liuius, Fregellis murus & porta de cœlo tacta erant.

1. Offi. Cicero, Quam ſimilitudinem natura ratioq; ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſilijs factisq; conſeruanda putat.

In Epiſt. Idem, Vt operam, ſtudium, conſilium, rem, fidem meam ſibi ad omnes res parata putent.

SECVNDA REGVLA
de Syllepſi generum.

Duobus ſubſtantiuis rerum animatarum, et diuerſorum generum ſubijcitur adiectiuum plurale, quod cum digniore in genere conuenit.

Vergilius,

3. Eclog. Eſt mihi nanq; domi pater, eſt iniuſta nouerca.
Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Idem, 2. Aeneid.

Nos contrà effuſi lachrymis, coniunxq; Creuſa,
Aſcaniusq; omnisq; domus.

In And. Terent. Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre.

Verg. 2 Aeneid.

Aſcaniumq; patremq; meum, iuxtaq; Creuſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?

Ouid. Lib. 1. Faſt.

Iane face æternos pacem paciſq; miniſtros.
Idem, Mulciberis capti Marſq; Venuſq; dolis. li.2, de ar
Verg. Cæſoſq; reportant 7. Aenei.
Almonem puerum, fœdatiq; ora Galeſi.

## TERTIA REGVLA.

### De Syllepſi perſonarum.

Subſtantiuis diuerſarum perſonarum coniunctione coniunctis, adijcitur uerbum plurale, quod digniori in perſona reſpondet,

Ego & pater dolentes quærebamus te. Luc. 2.
Ego & uicinus concertauimus.
Tu & frater belle conuenitis.

Terent. Nūquam uidi iniquius certationem cōparatam, quàm quæ hæc hodie inter nos fuit, ego uapulando, ille uerberando uſq; ambo defeſſi ſumus. In Adel.

Idem, Hæc ſi neq; ego, neq; tu fecimus, non ſinit egeſtas facere nos, In Adelp.

Cicero, Suſtulimus manus, & ego & Balbus, tanta fuit oportunitas, ut illud neſcio quid non fortuitum, ſed diuinum uideretur. li.7. fam.

## QVARTA REGVLA.

### De Syllepſi numerorum.

Duobus nominatiuis diuerſorum numerorum ſubijcitur uerbum plurale, ut: Milites & Imperator pugnant.

li.4.de 4 Liuius, Cum terra Nabis Lacedemonijsq; mari Romana claßis urgebant.

V.

Vocantur & ſyllepſes caſuum, cum nominatiuo & ablatiuo uerbum additum pluraliter effertur.

1. Aenei. Remo cum fratre Quirinus Iura dabant.

PROLEPSIS.

Partitio quædam eſt ſeu diſtributio, cum nomini partes ſubijciuntur uerbo non repetito, ut:

Milites redeunt, hic ex Hiſpanijs, ille ex Gallijs.

Eclog. 7. Verg. Compulcrantq; greges Corydon & Thyrſis in unum,

Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Alter alterius onera portate.

2. Aenei. Idem, Diuellimur inde, Iphitus & Pelias mecum.

12. Aene. Verg. Interea reges, ingenti mole Latinus

Quadrijugo uehitur curru.

Bigis it Turnus in albis.

Hinc pater Aeneas Romanæ ſtirpis origo.

Et puer Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ.

Aliquando collectiuum præcedit.

Humani generis, pars corpus excolit, pars animum.

Verbum ſeu actiuum in ſingulis partibus ſubauditur, ut: Terent.

*Terent.* *Curemus æquam uterq; partem, tu alterum, ego item alterum. Tu alterum, ſcilicet, cura, ego alterum, ſcilicet, curabo.* In Adelp.

*Vocant enim Prolepſin, cum aliquid de toto dicitur, & idem poſtea in partibus, in quas fit diſtributio, ſubauditur. Partes quidem ponuntur, id uerò quod tributum eſt toti, in partibus diſſimulatur.*

SYNECDOCHE.

Incidit aliquãdo & ſynecdoche in ſyntaxi uerborum, cũ uerbo ſubijcitur accuſatiuus partis, in hunc modum, ut:

*Verg. 3. Georg.*

*Micat auribus, & tremit artus.*

*Doleo caput.*

*Verg. 3. Georg.*

*Tollentemq; minas, & ſibila colla tumentem Deijce.*

SECVNDA REGVLA.

Paſſiuis item uerbis & participijs nõnunquam accuſatiuus additur conſuetudine Græca. Nam græci, ut nos actiuis caſibus tranſitiuorũ ſolemus, ſic ipſi pleriſq; paſſiuis accuſatiuũ addunt, plurima enim illis uerba ſunt uim tranſitiuorum habentia. Vtq; nos dicimus,

doceor Grammaticam, ita illi παίομαι τὴν κορυφήν. Latini poëtæ eam ſyntaxin non raro ſunt imitati, ut:

*Lucanus Lib.19.*

*Pluribus ille no.is uariatam pingitur aluum.*

*Verg.1. Aeneid.*

*Expleri mentem nequit, ardeſcitq; tuendo.*

*Et participia paſſiua, ut:*

lib. 2. *Lucan, Effuſas laniata comas, contuſaq; pectus.*

*Redimitus tempora lauro.*

3. Aenei. *Florem depaſta ſalicti.*

Eclog. 1 *Inſcripti nomina regum.*

*Nodoq; ſinus collecta fluentes.*

1. Aeneid. *Triſtior & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes.*

*Manus poſt terga reuinctus.*

2. Aenei. *His animum arrecti dictis.*

1. Aenei. *Animum dictis accenſus amaris.*

Satyr. 1. *Horat. Miles multo iam fractus membra labore.*

li.11. Me. *Ouid. Anxia prodigijs turbatus pectora Ceyx.*

*Picus, Percuſſus tempora glande.*

*Machina terrifico quam fulminat ænea bombo.*

*Hoc genus exempla rara ſunt in ſoluta oratione.*

Lib.31. *Liuius, Vt uerò Annibal ipſe dum murum incautius ſubit, aduerſum femur tragula grauiter ictus cecidit.*

*Pomponius de Britannis,*

*Vltro corpora inſecti.*

ANTIPTOSIS, *Caſus pro caſu.*

Eſt & ubi contra analogiam antecedens imitatur caſum relatiui, & cũ uerbo principali ſequenti nõ conſentit, ut:

Verg *Vrbem, quam ſtatuo, ueſtra eſt.* 1. Aenei.

*Terent. in prol. Andr.*

*Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.*

*Quem quæritis Chriſtum? non eſt hîc.*

Quintil. *Vereórne quos porrexerim cibos uenena fiant.*

Terent. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit?* In Eunu.

*In his & ſimilibus exemplis accuſatiuus pro nominatiuo ponitur.*

II.

Aliquando nominatiuus pro accuſatiuo ponitur conſuetudine græca.

Verg. *Senſus medios illapſus in hoſtes.* 2. Aenei.

Ouid. *Sed enim quia rettulit Aiax* li. 13. Me.

*Eſſe Iouis pronepos.*

Terent. *Quæ ſeſe optauit inhoneſte parare hîc diuitias potius, quàm in patria honeſte pauper uiuere.* In And.

Lucan. *Tutumq; putauit, iam bonus eſſe ſocer.* Lib. 9.

Ouid. *Acceptum refero uerſibus, eſſe nocens.*

Catul. Phaſelus iſte, quem uidetis hoſpites, ait fuiſſe
De Phaſ. nauium celerrimus.

III.

Videre eſt, aliquando pro uocatiuo nominatiuum poſitum, ut:

Eclog. 7. Verg. Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba.
Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite.
Id eſt, arbutæ, quæ eos tegis rara umbra.

Sat. I. Perſius, Vos ô patritius ſanguis, quos uiuere fas
eſt.
Occipiti cæco poſticæ occurrite ſannæ,
Id eſt, patritie ſanguis.

IIII.

Genitiuus item nonnunquam pro ablatiuo more græcorũ poſitus inuenitur.

II. Aenei. Verg. Quas ille læta laborum.
Ipſa ſuis quondàm manibus Sidonia Dido fecerat.
Idem, Nec ueterum memini lætorue laborum.

V.

Aliquando datiuus uſurpatur pro ablatiuo cum præpoſitione, quæ conſtructio planè græca eſt, ut:

Verg. Eclog. 5.
Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas,
Id eſt, tecum.

Idem 7. Aeneid.

*Infœlix puer, atq; impar congreſſus Achilli,*

*Id eſt, cum Achille.*

Verg. 4. Aeneid.

*Placido ne etiam pugnabis amori,*

*Id eſt, cum amore.*

Catul. *Noli pugnare duobus.* In car. nuptiali.

Ouid. Hele. Pri.

*Dum nouus eſt, etiam cœpto pugnemus amori.*

*Aliquando pro ablatiuo cum præpoſitione à uel ab.*

Verg. *Arcebis grauido pecori,* 3. Georg.

*Id eſt, à grauido pecore.*

Idem, *Solſtitium pecori defendite, iam uenit æſtas.* Eclog. 7.

*Pro defendite pecus à ſolſtitio, nam hoc exemplo & hypallage eſt.*

*Prioris partis exempla paßim uidere eſt apud Græcos.*

Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστὶ καὶ τύχῃ.

VI.

Porrò datiuus nonnunquam & pro accuſatiuo cum præpoſitione poſitus inuenitur, ut:

Verg. *It cœlo clamor.*

Idem, *Exigui numero, ſed bello uiuida uirtus.* 5. Aenei.

Verg. Eclog. 2. *Hœdorumq; gregem uiridi compellere hibiſco.* Ibidem.

Idem,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0077-0

Idem, 7. Aeneid.

Belloq; animos accendit agreſtes.

Pro ad bellum.

Hunc datiuum quidam octauum caſum eſſe dixére.

Huc referunt & hoc Terentianum.

In And. Commigrauit huic uicinæ.

Pro in hanc uicinam. Eraſmus rectè accommodat hoc exemplum ad ſyntaxin compoſitorum uerborum. Nam propter compoſitionem datiuus additus eſt uerbo commigro, ſicut conſentio illi.

ENALLAGE.

Mutatio eſt ſine ulla ratione, tantum concinnitatis cauſa uſurpata, quia delectat interdum uarietas.

Sunt autem penè infinitæ Enallagæ, ex quibus nos has formas ponemus.

Interdum uerbum ſubſtantiuum numero conuenit cum poſteriore nominatiuo, contra rationem.

In And. Amantium iræ amoris integratio eſt.

Ratio enim poſcebat dici, Amantium iræ ſunt amoris integratio. Quia uerbum debet conuenire cum præcedente nominatiuo.

li. 2. ele 4 Ouid. Vror, & inſidiæ ſunt pudor ille meæ.

II.

Eſt & Enallage ſine ratione tantum con-

concinnitatis cauſa facta mutatio, cum utimur in narrando infinitiuo pro præterito imperfecto indicatiui, ut:

*Terent.* *Facile omnes perſerre ac pati, cum quibus erat, pro perferebat, ac patiebatur.* In And.

*Idem,* *Inuidere omnes mihi, mordere clanculum,* In Eunu.
*Ego non floccipendere.*

*Et paßiua uoce, ut:*

*Verg.* *Mihi ſacra parare, id eſt parabantur.* 2. Aenei.
*Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri*
*Spes Danaum &c.*

*Hanc figuram hiſtoricam uocat Seruius, tametſi & ab oratoribus nonnunquam uſurpatur, ut:*

*Cicero,* *Galba autem alludens uarie & copioſe, multas ſimilitudines afferre, multáq; pro æquitate contra ius dicere.* De Orat

## EVOCATIO.

Vocauerunt Euocationem, cum uerbo primæ aut ſecundæ perſonę pronomen præponitur, ut:

*Ego Vergilius lego.*
*Tu Apollonius ſcribis.*
*Nos Poma natamus.*

*Verg.* *Supplicia & ſcelerum pœnas expendimus Omnes.* 6. Aenei.

*Idem,* *Non omnia poſſumus omnes.* Eclog. 2.

Idem,

Verg 3. Aeneid.

Moniti meliora ſequamur.

In Capti. Plaut. Tum deniq; homines noſtra intelligimus bona.

Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis requirimus inuidi.

II. Aenei. Verg. Nos animæ uiles inhumata infletaq; turba Sternamur campis.

Voluerunt enim Grammatici tertiam tantum perſonam in nominibus eſſe, ſed non uideo, cur adiecta à pronominibus nomina non mutuentur ab eis perſonam, tametſi uerum eſt, quòd auriuſcule cohærent uerba primæ aut ſecundæ perſonæ cum nominibus.

In Euocatione uerbum concordat cum nominatiuo pronominis qui uel ſimul additur ad nominatiuum nominis, ut:

Nos miſeri plectimur.

Vel ſubauditur, ut:

Beneficio affectus, malam refers gratiam.

Et hic abeſſe debet coniunctio, de eadem enim perſona fit ſermo. Aliter eſt, ſi dicas,

Ego & Pomponius legimus.

Aliquando ſimul ſyntheſis concurrit, ut:

Ouidius in Heroi. Phe. Hip.

In magnis læſi rebus uterq; ſumus.

## DE VERBORVM SYN- taxi cum obliquis.

PRIMO obſeruandum eſt, quòd quemcunque caſum regit uerbum indicatiui modi, eundem regunt omnes reliqui modi tempora omnia, participia quoq; & ſupina. Accuſo, accuſabam, accuſabo furti, Accuſatus furti, accuſandus furti, Impleo uino, ſic impletus uino.

### REGVLA PRIMA.

Actiua uerba omnia, accuſatiuos adſciſcunt, ut:

Aphranius apud Gell. lib. 13. cap. 8.

Sophiam me Graij uocant, Latini ſapientiam.

Vſus me genuit pater, mater peperit memoria.

Auriculas aſini Mida rex habet.

Verg. Laudato ingentia rura, Exiguum colito. 2. Georg.

Virum malum uel mus mordeat.

Verg. Pauci quos equus amauit. 6. Aenei.

Iupiter, atq; ardens euexit ad æthera uirtus,

Dijs geniti potuêre.

### II.

Neutra ſine accuſatiuis abſoluunt ſententiam, ideoq; abſoluta uerba uocauit Priſcianus, ut:

Iuuen. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

li.1.Epiſt Horat. Ardet auaritia miſeraq́; cupidine pectus.

li.6. de.3. Liuius, Et ambitio magis quàm unquam aliâs exarſerat.

Ouid. Et cum fortuna ſtatq́; caditq́; fides.

Horat. Multa tulit fecitq́; puer, ſudauit & alſit.

III.

Sed quædam tamen neutra accuſatiuos cognatæ ſignificationis adſciſcunt.

Vt: Aro terram.

Dormit Epimenideum ſomnum.

Ouid. Non profecturis littora bobus aras.

Salto fabulam.

Bibo uinum.

In Epiſt. Cicero, Sanguinem ciuilem ſitit.

Philip. 5. Ambit honorem, magiſtratum, nuptias puellæ.

Verg. 1. Aeneid.

Gens inimica mihi Thyrrenum nauigat æquor.

Et æquor à me nauigatur.

In Cato. Cicero, Tertiam enim ætatem hominum uiuebat.

Ad Trc. Idem. Quod certè fieret, ſi tu maluiſſes beneuolentiæ, quàm litium iura perdiſcere.

Satyr. 2. Iuuen. Qui curios ſimulant, & Bachanalia uiuunt.

In Heaut. Terent. Nam ego uitam duram, quàm uixi adhuc, prope iam excurſo ſpacio, miſſam facio.

Verg. 6. Aeneid.

Secu-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0082-7

Securos latices & longa obliuia potant. 6. Aenei.

Et ab his deinde paſsiua tertiæ perſonæ, & participia paſsiua deriuantur, ut:

Ouid, Iam tertia uiuitur ætas. 12. Meta.

Mart. Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo li.13.de gl

Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Ouid. Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. 1.Faſt.

Ad hanc ſintaxim pertinent & hæc,

Olet unguentum. In Adelp.

Horat. Paſtillos Ruſinus olet, Gorgonius hircum. Sat. 2.

Olet lucernam.

Nec uox hominem ſonat. 1. Aenei.

Verg. Littoraq; Halcyonem reſonant, & Achantida dumi. 3. Georg.

Horat. Vineta crepat mera. li.1.epiſt.

Perſius, Demorſos ſapit ungues. Sat. 1.

Columel. Reliquisq; immunditijs tetrum odorem ſpirantibus.

Verg. Ambroſiæq; comæ diuinum à uertice odorem 1. Aeni.

Spirauêre.

Idem, Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora tauri. 3. Georg.

Et Græca.

Gaudeo gaudium. ληρῶ λήρους.

IIII.

Obſeruandæ ſunt hic & ſingulares formulæ, ut:

Ire inficias. Terent. Ille inficias ibit, ſat ſcio. In Adel.

Suppetias uenire. Cæſar. Id eſt, in ſubſidium.
Facere inferias. Nauare operam.

Ad Brut. Cicero, Omnes nauare operam & ſtudium uolunt.

In epiſt. 3 Idem, Iſthic quoq; beneuolentiam noſtram in te nauare poßimus.

15. Fam. Idem, Vtinam potuiſſem pro tuis amplißimis erga me ſtudijs atq; beneficijs tibi operam meam ſtudiumq; nauare.

8. Fam. Idem, Nemo eſt tam afflictus, qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, nō poßit nauare aliquid & efficere.

Item formulæ cum accuſatiuo Vicem.

pro do. ſu. Cicero, Mihi uni neceſſe eſt, ut meam & aliorum uicem pertimeſcere.

Ad Brut. Idem, Reipublicæ uicem doleo.

Contra Ve. Idem, Nos ſi alienam uicem pro noſtra iniuria doleremus.

In epiſt. Idem, Quanquam ille noſtram uicem ultus eſt, ipſe per ſe.

In Heaut. Terent. Menedemi uicem miſeret me.

Lib. 4. Dec. 4. Liuius, Remittimus hoc tibi, ne uicem noſtram iraſcaris.

V.

Quædam item uariè conſtruuntur, atq; diuerſam pro conſtructione ſententiam efficiunt, ut:

Timeo te, & timeo tibi.

Conſulo te, & conſulo tibi.

Luc. Rectoremq́; ratis de cunctis conſulit aſtris. Lib. 8.

Ouid. Conſule queis ætas longa magiſtra fuit. li. 1. Ele 5.

Ellipſis eſt accuſatiui, ſcilicet, eos.

Item, conſulo in te, ut:

Terent. Peßime iſthuc in te atq; illum conſulis. In And.

Metuo tibi, & metuo te.

Terent. Metui à Chryſide.

Recipio me in urbem.

Recipio tibi me facturum, id eſt, promitto.

Græcum eſt, ὑποδέχομαι.

Cicero Lib. 16. Fam.

Quæ tibi promitto ac recipio ſanctißime eſſe obſeruaturum.

VI.

Quædam item uerba utrunq; accuſatiuum perſonæ & rei admittunt, ut:

Excuſat ſe, & excuſat ualetudinem.

Liuius, Oculorum ualetudinem excuſauit. li. 6. de. 3.

Accuſo te, & accuſat negligentiam tuam.

Verg. Conſolatur me & ſolatur dolorem.

VII.

Sunt autem admonendi pueri, non omnium nominum accuſatiuos promiſcue omnibus actiuis ſubijci poſſe, ſed habendam eſſe rationem phraſeos

Inter eſt enim inter hæc, Feci damnum, & dedi damnum, Facere modum, & habere modum uitæ, apud Terent. In And. Habeo orationem. Rectius eſt, non eſt rectum facio orationem. Rectius eſt, facio uerba, non rectum, habeo uerba. Differt item, dat uerba. Et capio uoluptatem, receptum eſt, non dicitur eadem ſignificatione, cepit me uoluptas. Cepi dolorem, & accepi dolorem, uſitata ſunt, non autem, dolor cepit me. Econtra, cepit me obliuio, rectè dicitur, non autem obliuione captus ſum. Verba item pro ut nominibus adduntur, ſignificationem etiam mutant, ut ducere bellum, ſalutis rationem ducere, exercitum ducere, uxorem ducere, uitam agere, prædam agere, animam agere. Sed hæ figuræ in quotidiana lectione autorum deprehendentur. Nos his præceptionibus uoluimus inſerere, ne onerentur infirma ingenia puerorum nimia prolixitate commentarij. Et congeſſerunt Valla & Hadrianus Cardinalis non contemnendum numerum huiuſmodi formularum, qui proponendi ſunt pueris, ubi prima elementa Grammatices perceperint.

Eſt enim his, qui pure latine loqui ſtudent, opera danda, ut in promptu habeant magnam ſupellectilem, non modo bonorum uerborum, ſed & formularum ſermonis, quæ in uſu ueterum fuerunt. Nam ita demum redolebit ſermo latinam phraſin, & perſpicuus erit, cum in compoſitione uerborum

ueterum exempla & conſuetudinem imitabitur. Sed redeo ad pueriles regulas.

Varie dicunt, Ludo alcam, & ludo talis.

Eſt & peculiaris formula, Animaduerto in illos uirgis. Eſt enim actiuæ ſignificationis, pro hac formula, punio illos uirgis.

## SECVNDA REGVLA

Accuſandi uerba & memoriæ adſciſcunt præter accuſatiuū genitiuos cauſam ſignificantes, ut:

Accuſandi formulæ cum genitiuo.

Plaut. Furti ſe adſtringit. In penul.
Terent. Hic ſe furti alligat. In Eunu.
Sueton. Dolobellam repetundarum poſtulauit.

Dicitur etiam poſtulatus de repetundis.

Liuius, Cum capitis anquiſiſſent. li.2. de. 9.
Plinius, Inuenimus Egnatij uxorem, cum uinum bibiſſet, è dolio, interfectam fuſte à marito. eumq; cædis, à Romulo abſolutum. l.14.c.13
Cicero, Sceleris condemnat generum ſuum, Ad Tiro.
Liuius, Bis eiuſdem uoti damnata in religionem uenit. Lib.10. ab urb.
Idem, furore ciuitatem, quæ damnata uoti, omnium rerum priorem curam, quàm religione ſe exoluendi habeat. li.5 ab ur
Idem, Centurionem nobilem militaribus factis iudi- li.6.ab ur

| | |
|---|---|
| | catum pecuniæ, cum duci uidiſſet. |
| li.5.de.3 | Idem, Sine noxam, cuius arguimur, nos purgare. |
| li 7.ab ur | Iuuenem nullius probri compertum. |
| In Læl. | Cicero, Hæc duo leuitatis & infirmitatis pleroſq; conuincunt, ſi aut in bonis rebus contemnunt amicos, aut ſi in malis deſerunt. |
| li.5.ab ur | Liuius, Rei capitalis diem Poſthumio dixerunt. |
| Pro cecin | Cicero, Rei capitalis damnati. |
| li.5.de.3. | Liuius, Matronas apud populum probri accuſarunt. |
| In Phor. | Terent. Si herum inſimulabis auaritiæ, male audies. |
| li.4.de 4 | Liuius, Inſimulauit fraudis Romanos. |
| | Aliquando uerbo accuſo additur accuſatiuus criminis, ut: |
| li.1.de or | Cicero, Inerciam accuſas adoleſcentum. |

II.

Hæc item uerba nonnunquam ablatiuo adhærent, ſæpius tamen cum præpoſitione, ut:

| | |
|---|---|
| | Negligentiæ accuſas, an faſtus, an uerò de utroq;? |
| | De pluribus ſimul accuſaris. |
| li 1.ad at. | Cicero, Non committam poſthac, ut me accuſare de Epiſtolarum negligentia poßis. |
| li.6.ab ur | Liuius, Qui de perduellione anquirerent. |
| | Et ſine præpoſitione aliquando. |

Cicero, Si iniquus es in me iudex, condemnabo eo= li. 2. fam.
dem ego te crimine.
Liuius, Capite anquiſitum, ob rem male geſtam, de li. 8 ab ur
imperatore nunquam ad eam diem eſſe.
Sueton. Multos ex ijs, quos capite condemnauerat, In Claud.
poſtero ſtatim die & in conſilium, & ad aleæ
luſum admoueri iußit.
Cicero, Ne quem innocentem iudicio capitis acer= 2. Offi.
ſas.

## MEMORIAE.

Ouid. Ocia delectent, admoneantq́; mei. 1. Triſt.
Memini huius rei, & hanc rem.
Memini tui, uel de te.
id eſt, mentionem feci.
Obliuiſcor huius rei, & hanc rem.
Verg. Et oblitos famæ melioris amantes. 4. Aenei.
Recordor huius rei, & hanc rem, & recordor Cice. pro
de hac re. Plant
Cicero, Pueritiæ memoriam recordari ultimam. Pro arch
Idem, Is certè cum aliquo dolore flagitiorum ſuo= In Piſon.
rum recordabitur.
Idem, Huius meriti in me recordor. Pro plan
Idem, Nam profectò ſi recordari uolueritis de no= Con. Rul
uis hominibus.
Idem, Prudentia hoc uidet, non omnes bonos eſſe li. 6. Tuſ.
etiam beatos, multaq́; de M. Attilio recor=
datur.

Eadem conſtructio eſt & uerbi Reminiſcor.

li.4.fa. Cicero, Ea potius reminiſcere, quæ digna perſona tua ſunt.

Idem ante exil.

In noſtro euentu aliorum reminiſcentes caſus.

Salluſt. Sed quoniam tanti uiri tempus admonuit.

Lib. 1. Quintil. Grammaticos ſui officij commonemus.

ad Her 4 Cicero, Cum ipſe te ueteris amicitiæ commonefaceret, commotus es.

7. In Ver Idem, Nemo eſt, quin tui ſceleris ex illa oratione commonefiat.

In Topic Idem, Admonitus huius æris alieni.

Extant & hæ formulæ apud autores.

li.4.fam. Cicero, Putaui ea de re te eſſe admonendum.

De natura deorũ. Idem, Ac de forma partim natura nos admonet, partim ratio docet.

ad Q. fr. Idem, Sed te illud admoneo.

Ad at. Idem, Illud me præclare admones.

Lib. 9. Obſeruabis & formulam. Venit in mentem, cum genitiuo & accuſatiuo.

Cicero de nat. deorum.

Hæc mihi ferè in mentem ueniebant, quæ dicenda putarem.

li.7.fam. Idem, Mihi ſolet in mentem uenire illius temporis.

li.2.de or Idem, Quotieſcunq; gradum facies, toties tibi tuarum uirtutum ueniat in mentem.

Et cum præpoſitione.

Cicero,

Cicero, Hæc mihi ueniebant in mentem de duabus illis commotionibus.

Et cum infinitiuo.

Cicero Lib. 1. de Orat.

Quid tibi in mentem uenit ita reſpondere:

Idem, Mihi in mentem uenit uereri. 4. famil.

Item patheticum miſereor, genitiuo gaudet.

Miſereor huius mulieris.

Verg. Nihil noſtri miſerere, mori me deniq; cogis. Eclog. 2.

Sed aliud eſt uerbum miſeror primæ coniugationis, quod adſciſcit accuſatiuum, & ſignificat deploro, ſeu querelis ſignifico dolorem aut misericordiam, ut Cæſar Lib. 1. Belli Gallici, Hi neq; uultum fingere, neq; interdum lachrymas tenere poterant, abditi in tabernaculis, aut ſuum fatum querebantur, aut cum familiaribus ſuis commune periculum miſerabantur.

Verum poëtæ propter carminis legem uſi ſunt uerbo miſeror pro meſereor, ut:

Verg. 9. Aeneid.

Phœbe graues Troiæ ſemper miſerate labores.

Satago cum genitiuo conſtruitur, ut apud Terentium, In Heaut. Etſi is ſuarum rerum ſatagit, id eſt, etſi anxius eſt, & torquetur, perinde ac ſi magnas difficultates experiatur in amore ſuo, tamen hoc habet commodi, quòd non habet adeo procacem, ſumptuoſam, moroſam, δειπνολόχην, qualis

eſt Bacchis. In Euangelio Lucæ 10. uertit interpres, Martha ſatagebat circa frequẽs miniſterium. Significat enim, Martham anxiam & ſollicitam fuiſſe, etſi Græcum uerbum in eo loco ſignificat idẽ, quod diſtrahebatur.

III.

Quibuſdam affectuum uerbis additur interdum genitiuus, interdum ablatiuus, deſcribens ſubiectum, in quo hæret affectus.

In Argu. Heaut. — Teret. Animiq; ſeſe angebat, facti pœnitens.

Angor animo, dixit Cicero.

In cla. or — Et angor intimis ſenſibus.

Apud pla — Sic animi pendeo, Diſcrutior animi.

li.7 ab ur — Territus animi, apud Liuium.

Ad hanc regulam refero etiam conſtructionem uerbi miror, cui ueteres addebant genitiuum ſignificantem obiectum, ut apud Vergilium.

11. Aenei. — Iuſtitiæ ne prius mirer, bellíne laborum.

## TERTIA REGVLA, DE SYNtaxi uerborum cum datiuo.

Verba omnia in quibus eſt quædam concedendi ſignificatio, datiuum adſciſcunt, qui perſonam deſignat, hoc eſt, quæ ſignificant tribuere, obſequi, aduerſari.

Iuuen.

Iuuenalis Satyr. 2.

Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas.

Verg. Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. 6. Aenei.

Idem, Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito. Ibidem.

Cicero, Cædam tibi in præſentia foro, curia & ſanctiſsimis deorum immortalium templis. Ad Octa.

Idem, Pudori tamen malui, famæq; cedere, quàm ſalutis rationem ducere. In Fam.

Liuius, Concordiæ in ciuitatibus principes & ordines inter ſe, & in commune omnes ciuitates cõſulerent aduerſus conſentientes, nec regẽ quenquam ſalutis ualidum, nec tyrannum fore. Diſcordiam & ſeditionem omnia oportuna inſidiantibus facere, cum pars quæ domeſtico certamine inferior ſit, externo potius ſe adplicet, quàm ciui cedat. li. 4 de. 4

Dicimus & cedo dexteram, pro porrige.

Liuius Lib. 9. ab urb. Rem fortunæ commitere.

Verg. 11. Aeneid.

Pacem ne ex animis & Martis forte peremptis.

Oratis, equidem & uiuis concedere uellem.

Glycirrhiza medetur tuſsi.

Benedico tibi, non te. Maledico illi, non illum.

Cicero, Si quis alteri maledicit, petulans uidetur. 2, de Or.

Idem, Pericles, in cuius labris ueteres comici, etiam cum illi maledicerent (quod tum Athenis fieri ſolebat) leporem habitaſſe dixerunt. 3. de Or.

Indulgeo.

Indulget ſibi.

Indulget gulæ.

Satyr. 5. Perſius, Indulge genio, fugit hora.

Verg. 2 Aeneid.

Quid tantum inſano iuuat indulgere labori?

Fauere. Cupere, Velle.

Fauere & cupere Heluetijs, Cæſar.

2. fam. Cicero, Cæſari honeſtiſſime cupio.

Aliquando cum particula, cauſa.

13. fam. Cicero, Cuius cauſa omnia tum cupio, tum me hercule etiam debeo.

In Adel. Terent. Dij tibi benefaciant, cum te uideo noſtræ familiæ tam ex animo factum uelle.

In ſom. Sci. Cicero, Hic tu Africane oſtendas oportet patriæ lumen animi, ingenij, conſilijq́; tui.

Inuideo datiuo & accuſatiuo.

Eclog. 7 Verg. Liber Pampineas inuidit collibus umbras.

Satanas humano generi doctrinam inuidet, igitur quantum poteſt, interturbat ſtudia diſcentium.

In Truc. Plautus, Malim mihi inuidere inimicos, quàm me inimicis meis.

Ouid in Heroid.

Si mihi difficilis formam natura negauit,

Ingenio formæ damna rependo meæ.

Reſpondere, pro conuenire & ſatisfacere.

Verg. Dictis reſpondent cætera matris. 1. Aeneid.
Cicero, Cui quidem amori utinam cæteris rebus poſ- 15. fam.
ſem, amore certe reſpondebo.

Dare operam.

Terent. Amico dat operam, imò amicæ. In Heaut.
Plaut. Hanc tibi operam dico. In Pſeu.

Impono cum datiuo, pro decipio.

Nebulo ſuis præſtigijs impoſuit mihi.

Cicero, Catoni egregie impoſuit Milo ueſter. Ad Q. fr.
Quintil. Spes tibi perpetuæ laudis impoſuit.

Dicto audientem eſſe, nunc genitiuo, nunc datiuo.

Cicer. Iſtæ imagines ita nobis dicto audientes ſunt, ut ſimul ac uelimus adcurrant.

Idem 6. act. cont. Ver.

Reſpondet dicto audientem fuiſſe prætoris.

II.

Quædam & uarie conſtruuntur, ut:

Studeo huic rei, & hanc rem.

Quint. Abdicatus medicinæ ſtuduit. li. 7 & 10
Idem, Poëtæ & pictores in id ſtudent, ut deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciant.
Cæſar, Cupiditate regni adductus, nouis rebus ſtu- li. 1. de ga
debat.

Cicero, Nihil aliud ſtudent.

Terent. Horum ille nihil egregie præter cætera In And.
ſtudebat.

Vaco

Vaco huic rei, & in hanc rem, & ad hanc rem,
1. de Pon. Ouid. In nullum mea mens grande uacabat opus.
5. de Pon. Idem, Corporis ad cultum uix uacat illa ſui.
1. de Diui Cicer. Ego uerò inquam Philoſophiæ ſemper uaco.
Aliud eſt cum ablatiuus additur.
5. Fam. Cicero, Vacare culpa magnum ſolatium eſt.
1. Offi. Idem, Nullum eſt tempus, quod uacare iuſtitia debet.
Hæc ad uerba copiæ & inopiæ pertinent.
Aliquando & impersonaliter uſurpatur, ut:
Iuuenalis Satyr. 1.
Si uacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Verg. 1. Aeneid.
Et uacat annales noſtrorum audire laborum.
Sed de imperſonalibus infrà.
Differunt, Caueo tibi, & caueo te, uel à te, & caueo mihi ab hoc.
De legib. Cicero, Altera lex priuatorum ædificijs, altera ſepulchris.
In Bruto. Idem, Prædibus & prædijs populo cautum eſt.
Ad Brut. Idem, Nihil credam, & omnia cauebo.
In Eunu. Teren. Tum pol tibi ab iſto hera cauendum cenſeo.
Dono tibi librum, & dono te libro.
Aſperſit tibi labem, & aſperſit te labe.
Impertit tibi pecuniam, & impertit te ſalute.
Ita impertior laudem, miſericordiam, ciuitatem, dixit Cicero.

Idem,

Idem, Ignis omnibus rebus uitalem impertit calorem.

Idem, Aliquid impertias temporis huic cogitationi. Ad at. II.

Plinius iunior de Auunculo, Perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudijs non impertiretur.

Nitor haſta, uel in, uel ad haſtam, uel in haſta.

Cicero, Haſtili nixus.

Idem, Firmioribus opibus nixum auxilium. Ante exi.

Idem, Partim innocentia freti, partim nobilitate nixi. li.3 ad at.

Idem, Suſtinebimus nos, & ſpe qua iubes nitemur. Epiſt. 9.

Idem, Optimi cuiuſq; animus maxime ad immortalitatem nititur. De ſenect.

Idem, In huius uita nititur ſalus ciuitatis. Pro milo.

Idem, Tu eris unus, in qua nitatur ciuitatis ſalus. In Som.

In quibus cauſa nititur, ad ea ueniamus. Sci.

Palpo frequentius accuſatiuo.

Iuuen. Quem munere palpat. Sat. I.

Palpor datiuo.

Plaut. Quàm blande mulieri palpabitur. In Amp.

Præſto illi, apud Terent. In Eunu.

Homini homo quid præſtat?

Præſto illum, apud Vergilium, II. Aenei.

Ibo animus contrà, uel magnum præſtet Achillem.

1. Fam. Cicero, Præſta te eum, qui mihi á teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, cognitus es. Sed hæc eſt tranſitiua oratio.

Auſculto tibi, obedio.

Auſculto te, audio.

Sufficio, ſatis ſum.

In Salluſt Cicero, Poſteaquam immenſæ gulæ impudiciſſimi corporis quæſtus ſufficere non potuit.

9. Aeneid Verg. Nec ſufficit umbo ictibus.

Idem, pro ſuppleo, ſubſtituo, in locum alterius ſubrogo.

2. Aeneid Verg. Ipſe pater Danais animas, uireſq; ſecundo Sufficit.

2. Geor. Idem, Atq; aliam ex alia generando ſuffice prolem.

Cum ſolo accuſatiuo.

Teren. in Phormi. Bene uertat tibi.

Male uertat illi.

Dij bene uertant, quod agis, paſſiuè ferè ſignificat.

Verg. Et totæ in ſolidam glaciem uertere lacunæ.

Medicina in ueneni naturam uertit. Conuerſa eſt.

### III.

Huc & imperandi formulæ pertinent, & prohibendi,

Interdico tibi uinum, & uino.

Sueton. Alteri ob ingratam & maleuolum animum domo & prouincijs interdixit. In Augu.

Cicero, Noſtro more male rem gerentibus patrijs bonis interdici ſolet. De ſenect.

Idem, Leges quæ iubent ei, qui de maieſtate damnatus ſit, aqua & igni interdici.

Idem, Velitis, Iubeatis, ut M. Tullio aqua & ignis interdicatur. Ad Pont. pro domo

Sueton. Hi quibus magiſtratus interdicerentur. In Claud.

Item cum datiuo & accuſatiuo.

Interdixi hiſtrionibus Scenam. Su. in Do

Liuius, Fœminis duntaxat uſum purpuræ interdicemus. li. 4 de 4.

Ouid. 6 Metam.

Cui quondam regia coniunx orbem interdixit.

Mando.

Cicero Pop. Rom. Nouis hominibus magiſtratus mandat. In Ver.

Terent. Bona noſtra hæc tibi committo & tuæ mando fidei. In And.

Iuuen. Cum fortunæ ipſe minaci. Sat. 10.
Mandaret laqueum, mediumq; oſtenderet unguem.

Mandare aliquid literis.

Mandare literis res geſtas, alicuius ſermonem.

Mandare memoriæ.

Cicero, A benis primum munimentis & literis oratio eſt cœpta mandari. C. pro M de cla. or

2. de diui. Sic Cicero dixit, Mandare hiſtorijs, mandare ſcriptis, mandare uerſibus, mandare immortalitati, mandare uetuſtati, &c.

De Orat. Idem, Socratis ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit.

In Catil. Idem, Percipite quæſo diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis ueſtris, mentibusq; mandate.

6. Fam. Idem, Quare mihi crede, & memoriæ manda.

Pro quin. Idem, Quæſo, ut enim diem memoriæ mandetis.

De amic. Idem, Cuius diſputationis ſententias memoriæ mandaui.

Ad Att. Idem, Sed tibi nihil mando nominatim, me totum tuo amori fideiq; commendo.

Huius generis uerba ſunt.

Præcipio, impero, iubeo, do mandata, negocium do, edico, interdico, impono, præſcribo, dicto, committo, trado, commendo, & his affinia.

Pareo, obedio, obſequor, obſecundo, obtempero, morem gero, morigeror, ſatisfacio, gratificor, &c.

In Eunu. Terent. Ego me tuæ commendo & committo fidei.

Idem, Ouem lupo commiſiſti.

IIII.

Item nunciandi uerba ferè datiuo iunguntur, etſi nonnunquam & accuſatiuum cum præpoſitione adſciſcunt. Ea



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0100-6

ſunt, refero nuncio, renuncio, obnuncio, denuncio, affero, recenſeo, ſignifico, expono, indico, &c.

*Allatum eſt nobis, & ad nos.*

*Quaſi non tibi renunciata ſint, hæc ſic fore.* In And.

*Refero tibi, & refero ad te.*

Liuius, *Ad ſenatum refert.* li. 5. de. 1.

Cicero, *Si ad unum omnia referenda ſunt.* Pro Seſt.

Idem. *Vt omnia conſilia atq; facta noſtra ad uirtutem atq; dignitatem referamus.* In Anto.

*Ita dixit Cicero, refero omnia ad utilitatem ſuam, ad uoluptatem corporis, ad facilitatem, æquitatemq;, ad uoluptatem alicuius, ad ueritatem, ad delectionem, &c.*

*Vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum finem, ut illi luceat,* In Offic. Lib 1.

*Referre alicui debitam ac meritam gratiam.*

Cicero, *Vitam acceptam refert clementiæ tuæ.* Pro Clu.

Idem, *Virtutem nemo unquam deo acceptam retulit.* de na. de.

Plinius, *Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta.* Lib. 2. de. Fortuna.

*Dicitur & referre aliquem abſentem in reos, in proſcriptos.*

*Referre aliquem in deorum numerum.*

Referre nomina in codicem accepti & expenſi.

3. in Ver. Referre rationes ad ærarium.

V.

Breuiter omnia uerba cum commodum aut incommodum ſignificant, datiuum adſciſcunt perſonæ, in cuius gratiam uel detrimẽtum uerbi actio cedit.

li. 7. Fam. Non omnibus dormio.

In Adelp. Terent. Si quid Demea peccat, mihi peccat.

Odi ſapientem, qui non ſibi ſapit.

In And. Huic habeo non tibi.

C. in Bru. Sibi canit, & Muſis ſuis.

Satyr. 3 Perſius, Tibi luditur.

Sueton. Negauit ſe delatoribus aures habere.

2. Georg Verg. Tibi res antiquæ laudis & artis ingredior.

Pla. 1. ep. Mihi hic nec ſeritur nec metitur.

Pro. M. Marcel. Cicero, Itaq; illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam uocem inuitus audiui, ſatis te diu uel naturæ uixiſſe, uel gloriæ, at, quod maximum eſt, patriæ certe parum.

VI.

Verbis, quæ habent tribuendi ſignificationem, adduntur duo datiui, quorum alter perſonam effert, alter cauſam, quare res tribuatur, ſcilicet commodũ, uel incommodum, ut:

Hoc uertitur illi uitio.

Horat. Nec timuit, ſibi ne uitio quis uerteret olim.

Datur crimini. Ci. in Ver

Liuius, Populationis eius, quæ crimini detur comites. li. 4 ab ur

Datur laudi, In Adel.

Vitio datur.

Idem, Vtrum ſtudiône id ſibi habet, an laudi putat fore, ſi perdiderit gnatum. Ibidem

Idem, Tu nunc tibi id laudi ducis, quod tum feciſti inopia. In Adel.

Dono dedit mihi librum.

Verg. Fiſtula, Dametas dono mihi quam dedit olim. Eclog. 2.

Terent. Ea relicta huic arraboni eſt, pro illo argento. In Heaut

Idem, Oppoſitus ager pignori. In Phor.

Venio tibi auxilio.

Plaut. Bene merentem tibi habes deſpicatui. In Mene.

Verg. Venturum exitio Lybiæ. 1. Aenei.

Hoc genus datiuos reſoluunt in accuſatiuos, cum præpoſitione ad, uel in.

VII.

De uerbis compoſitis, quæ datiuo iunguntur.

Plurima item uerba compoſita, præſertim cum his præpoſitionibus, ad, ante, poſt, inter, ob, in, ſub, præ, de, re, &

con, datiuis adhærent, ut:

AD.

De ſeneƈt. Cicero, Adſum amicis.
1. Aenei. Verg. Tu das epulis accumbere diuûm.
2. Aenei. Idem, Aſpirat primo fortuna labori.
Adplaudunt turbulentis contionibus.
Adulatur principi, quod quidam ab ad & aula factum uolunt. Nam adulationes propriè ad aulæ artificia pertinent.
Horatius in arte poetica.
Delphinum ſyluis adpingit, fluctibus apros.
Affulſit illi ſpes prædæ.
In Vatin. Cicer. Ne qua labes illius dignitati aſpergi uideatur.
Puella illi blande arriſit,
Aduolutus genibus.

Ouid. Lib. 5. Faſt.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani.

Iuuenalis Satyr. 13.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis uetulo non aſſurrexerat.
Admouere faces inuidiæ alicuius.
Liuius, Ex eo quod affluit opibus ueſtris, ſuſtinete neceßitatem aliorum.
De reme. Ouid. Affluit incautis inſidioſus amor.

ANTE.

Virtus fortunæ anteponenda.
In Eunu. Terent. Miror ubi ego huic anteuerterim.

Cicero

Cicero cum accuſatiuo poſuit. 2. de na. de.

Stella cum anteuertens ſolem, tum ſubſequens.

Antecello nunc datiuo, nunc accuſatiuo.

Antecellit omnibus, uel omnes.

Cicero, Præclarum quiddam mihi uidetur adeptus, is, qui, quare homines beſtijs præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. 1. de Ora

Sic & antecedo.

Cicero, Si huic rei illa antecedit. In Topic.

Idem, Antecedere aliquem ætate. In Ver. 6

Anteeo quoq; datiuo & accuſatiuo iungitur.

Cicero, Præſtantiam animi omnibus bonis corporis anteire dicimus. De finib.

Idem, Seruius ætate illis anteibat, ſapientia omnibus. In Philip

Idem, Qui anteire cæteros uirtute putantur. In Offi.

Terent. Incredibile eſt, quanto herum anteeo ſapientia. In Phor.

Antefero datiuo.

Cicero, Longe omnibus unum antefero Demoſthenem. de Orat.

Idem, Bibuli fortunam, quam illi afflictam putant, omnium triumphis uictorijsq; antefero. In Fam.

Salluſt. Perfecit, uti famæ, fidei, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum regis anteferret. In Catil.

POST.

Verg. Poſthabui mea ſeria ludo. Eclog. 7.

Pius filius omnia parentum uoluntati poſthabenda putabit.

Poſtponit famam pecuniæ.

li. 3. ab ur Liuius, Libertati plebis ſuas opes poſt ferrent.

INTER.

Interfuit pugnæ.

Ad Atti. Cicero, Tu pura audis, & interes conſilijs.

Lib. 13 Interuenit ſermoni.

Ad At. Cicero, Magni intereſt Ciceronis, me interuenire diſcenti.

Intercepta illis præda.

Interclusum iter.

Pro Roſ. Cicer. Intercludere alicui omnes aditus ad aliquem.

li. 7. ad at Idem, Intercludere fugam alicui.

Pro co. B Cicero, Ne interſeptum ſit his iter.

Intercedo

Pro Quin Cicero, Is qui cum tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſæ & neceßitudines ueteres intercedebant.

In And. Terent. Si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.

Nonnunquam alia ſignificatione ponitur, ut:

I. Fam. Cicero, Meæ ſententiæ, quæ ſecunda pronunciata erat, cum frequens aſſentiretur ſenatus, rogatus Seruilij P. Titius interceßit.

OB.

Eclog. 9. Verg. Occurſare capro, cornu ferit ille, caueto.

Cur doctiori obſtrepis?

Cicero, Quæ res fecit, ut tibi literis obſtrepere non audcrem. li. 5. Fam

Obijcio.

Cicero, Et hoc tempus omne poſt conſulatum obiecimus ijs fluctibus, qui per nos à communi peſte depulſi, in noſmetipſos redundarunt. I. de Ora

Idem, Obieci meum caput pro ueſtra ſalute ciuium furori ac ferro. Pro domo

Idem, Qui ſe ſæpe telis hoſtium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit. Pro co. B

Idem, Vallum hoſtibus obiectum.

Res noua obiecta omnium oculos & animos conuertit.

Obtrecto.

Cicero, Qui huic obtrectant legi uel cauſæ. 9. Fam.

Apud Ciceronem Philippica decima, obtrecto conſtruitur & accuſatiuo & datiuo. Verba Ciceronis hæc ſunt ad Calenum.

Hanc tibi conſuetudinem plerisq; in rebus bonos obtrectandi, ſi quis detraxerit, qui tibi uelit obtrectare, non relinquetur.

Obuerſor.

Cicero pro Seſtio.

Sed mihi obuerſatur ante oculos reipub. dignitas.

Occino.

Hæc ille mihi quotidie occinebat. Terent.

10 Phor. Terent. Habet hæc, ei quod dum uiuat uſq; ad aurem obganniat.

Offundo.

In Salluſt. Cicero, Tu tuis maioribus uitæ quàm turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras.

Oppedere mimas inimicorum.

Obluctor.

3. Aenei. Verg. Genibusq; aduerſæ obluctor arenæ.

Obrepo.

16. Fam. Cicero, Filius, Sæpe inſcientibus nobis & cœnantibus obrepit.

De ſeneẽt. Idem, Qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit.

Sic conſtruuntur & obſum, obſto, obſiſto, officio, obloquor, offero, obſtringo, obligo, obuenio, obmurmuro, occurro, obtrudo.

In And. Terent. Quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me.

Oppono.

In Top. Cicero, Omni uirtuti uitium contrario nomine opponitur.

IN.

Horatius Lib. 1. Epiſt. ad Mecæ.

Immoritur ſtudijs & amore ſeneſcit habendi.

Satyr, 6. Perſius, A te nocturnis iuuat impalleſcere chartis.

Incumbo huic rei, & in hanc rem.

Ad Plan. Cicero, Incumbo toto pectore ad laudem.

Idem,

Idem, Incumbo in eam curam & cogitationem, quæ tibi laudem afferet. Lib. 10.

Idem, Pergite adoleſcentes, & in hæc ſtudia, in quibus eſtis, incumbite. De Ora.

Horat. 1. Epiſt. ad Loll.

Intendes animum ſtudijs & rebus honeſtis,
Inuidia uel amore uigil torquebere.

Verg. Fraus innixa clienti. 6. Aenei.

Inuigilat chartis.

Illudit nobis.

Inſultas afflicto.

Innitor arundini.

Liuius, Saguntí ruinæ capitibus noſtris incident. li. 1. de. 3.

Verg. Condit opes alius, defeſſoq; incubat auro. 3. Georg

Liuius, Et iſtos incubantes publicis theſauris ex præda clandeſtina euoluas. li. 6. ab ur

Impendet omnibus periculum.

Hoſtis imminet urbi.

Inſidet equo.

Ouidius 1. Faſt.

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam.

Aliquando ablatiuo cum præpoſitione.

Terent. In amore hæc omnia inſunt uitia. In Eunu.

Inceßit tibi, uel in te, à uerbo inceſſo, quod de affectibus propriè uſurpatur.

Verg. Regibus inceßit magno diſcordia motu. 4. Geor.

Terent. Noua nunc religio in te iſthæc inceßit. In And.

Inceßit

Inceſsit me cupiditas, & inceſsit mihi cupiditas.

li 1. ab ur | Liuius, Timor deinde patres inceſsit, nec ciuitatem ſine imperio uis aliqua externa adoriretur.

Lib. 1. | Idem, Cupido inceſsit animos iuuenum ſciſcitandi, ad quem eorum regnum Romanum eſſet uenturum.

In Prolo. | Valerius max. Mec mihi cuncta complectendi libido inceſsit.

SVB.

Succubuit fortunæ.

In Offi. | Cicero, Nulli neq; hominum neq; perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere.

Succubuit dolori, famæ.

li. 4. de 5 | Liuius, Succedit mœnibus.

Subuenio.

In Anton. | Cicero, Bruti opera reipublicæ difficillimo tempore ſubuentum eſt.

In Ver. | Idem, Subueniſti homini iam collum in laqueum in-
Act. 6. | ſerenti.

Subijcio.

2. Geor. | Verg, Atq; metu omnes, & inexorabile fatum. Subiecit pedibus.

7. de be. p | Liuius, Res oculis ſubiecta.

Pro Clu. | Cicero, Rem dicendo ſubijcere oculis.

Ci. de Or | Idem, Subijcere cogitationi.

Subijcere materiam arti.

Subijcere ſe imperio ac poteſtati alicuius.

Aliquam

Aliquando pro admoneo à Græco uerbo ὑποτίθεσθαι.

Cicero, Cupio mihi ab illo ſubiici, ſi quid prætereo. In Ver.

Terent. Si meminiſti quod olim dictum eſt. In Phor.

Subijce, hem.

## Subeo.

Subijt mihi & me.

Liuius, Interdum ſpes animum ſubibat, deflagrare iras ueſtras, purgari ſuſpiciones poſſe. Lib. 10. de. 4.

Et paulò poſt, Subituram uobis Germanitatis memoriam. Cicero dixit, Subire nomen rei, ſupplicium, ſubire uultum ſuperbiſsimum inimici, ſubire inuidiam, ſubire uim & iracundiam populi incitat, ſubire periculum pro amico, ſubire pœnam, ſubire & excipere tela, ſubire ſempiternas fœdiſsime turpitudinis notas.

Cicero, Sed ita meruiſſe illum de me puto, ut ἀχαριςίας, crimen ſubire non audeam. li. 9. ad at.

## Subduco.

Verg. Fidum capiti ſubduxerat enſem. 6. Aenei.

Terent. Et cum eo clam ſubduxit te mihi. In Eunu.

## Succurro.

Liuius, Cuius aduerſæ fortunæ ſuccurſum uelit. li. 3. de. 1.

Verg. Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis. 11. Aenei.

Subſcribo huic ſententiæ.

## Suppedito.

Aliquan-

Aliquando datiuo cum accuſatiuo pro ſubmi-niſtro. Aliquando pro accuſatiuo ablatiuo. Ali-quando abſolute nominatiuo iungitur, pro ſuppe-to.

In Lælio. Cicero, Suppeditare alicui omnium rerum, quas na-tura deſiderat, abundantiam & copiam.

In Topic. Idem, Hic locus ſuppeditat oratoribus mirabilem copiam dicendi.

Terent. Nam ſi illi pergam ſuppiditare ſumptibus,
Mihi illæc uerè ad raſtros res redit.

li. 8. ab ur Liuius, Materiam creſcendi per ſummam gloriam ſuppeditat.

In Tuſ. q. Cicero, Quocunq; loco bona ſuppeditant, ibi beate poſſumus uiuere.

PRAE.

Præire.

Lib. 2. Fabius, Doctores non poſſe ſemper præire ſingulis legentibus.

Pro Milo Cicero. Vt uobis uoce præirent.

li. 9 item. Præire uerba, apud Liuium, furſprechen.

li. 7 ab ur

Præcidere.

In Phor. Terent. Sic optime, ut ego opinor, omnes cauſas præcidam omnibus.

In Ver. Cicero, Præcidere alicui ſpem.

In Piſon. Idem, Is ſibi ipſe reditum præcidit.

Præcino.

Cicero, Et in Epulis magiſtratuum fides præcinunt.

Præ-

Præcludo.

Cicero, Cum aditus cuſtodi patriæ præcluſus ſit.

Ita & præſtruo.

Præcurro.

Cicero, Neq; hoc quicquam eſt turpius, quàm in cognitioni aſſertionem præcurrere. | In aca. q.

Aliquando & accuſatiuo, ut:

Cicero, Efficiendum autem eſt, ut appeditus rationi obediant, eamq́; neq; præcurrant, neque præter pigritiam & ignauiam deſerant. | 1. Offi.

Præfero.

Cicero, Præferre ſalutem reipublicæ ſuis commodis. | In Philip.

Idem, Vos mihi in tantis tenebris erroris & inſcitiæ clariſsimum lumen prætuliſtis. | Pro Syll.

Præpono.

Cicero, Præponere amicitiam patriæ. | Pro Rab.

Præfinio.

Idem, Neq; de illo quicquam tibi præfinio. | In Ve a 7

Præſcribo.

Cicero, Præſcribere alicui, quomodo agat aliquid, aut qualis eſſe debeat. | Pro Cc.

Prælucco.

Ego meis maioribus uirtute præluxi. | In Salluſt

Præcello datiuo & accuſatiuo.

Præcellit omnibus, uel omnes.

Præripio.

Cicero,

Pro Se.R. Cicero, Ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut alijs eam præreptam uelim.

De ar. re. Idem, Præripere alicui deſponſam iam & deſtinatam laudem.

Ita & præſum, præficio, præſideo.

Præeſſe prouinciæ, urbi, exercitui, legionibus, ſacris, alicui rei faciendæ.

Rei non ſolum intereſſe, ſed & præeſſe.

De Orat. Id niſi hic in tuo regno eſſem, nõ tuliſſem, multisq; præeſſem.

6. Aenei. Arces quibus altus Apollo præſidet.

Prætendo.

In Vatin. Cicero, Volo ut mihi reſpondeas tu, qui te Pythagoricum ſoles dicere, & hominis doctiſſimi nomen tuis immanibus moribus prætendere.

Prætexo.

Prætexit honeſtum titulum cupiditatibus ſuis.

Prætexit ualetudinem ignauiæ.

Præbibo.

Præbibit mihi.

Præuertere & præuerti.

In Phil. Cicero, Ita tamẽ ſi uacas animo, neq; habes aliquid, quod huic ſermoni præuertendum putes.

In Merc. Plautus, Ocium non eſt, mandatis rebus præuortiuolo.

DE

## DE.

### Deeſſe.

Cicero ad filium, Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (ſi diſcendi labor eſt potius quàm uoluptas) tantum fac ut efficias, neq; committas, ut cum omnia ſuppeditata ſint, à nobis tute tibi defuiſſe uidearis. 3. Offi.

Cicero, Nobis ſi ingenium, ut tu putas, non defuit, doctrina certe & ocium defuit. 1. de or.

Additur & ablatiuus cum præpoſitione.

Cicero, Nec in Antonio defuit hic ornatus, nec in Craſſo redundauit. 3. de Ora

### DEDO.

Cicero, Patria cui nos totos dedere, in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus. De legib.

Ita dicimus, Dedere ſe ſtudio, doctrinæ Muſis, deſidiæ, libidinibus, lamentis.

Deficit me & mihi, accuſatiuo tamen uſitatius.

Cæſar. Quem iam ſanguis uireſq; deficiunt. 3. de bega

Cicero, Tempus hercule te citius quàm oratio deficeret. Pro Roſ.

Idem, Sed opprimor interdum, & uix reſiſto dolori, quòd ea me ſolatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, ſimili in fortuna non defuerunt. In Epiſt.

| | |
|---|---|
| Pro L. ſl | Idem, In hac republica ad quam opprimendam non animus eis, ſed uires deficiunt, & defuerunt. |
| | Deficere ab aliquo ad aliquem, alia ſignificatione dicitur. |
| In Vite. | Sueton. Prius à Galba ad ſenatum defecerat. |
| | DEFIO. |
| In Hecy. | Terent. Nil tibi apud me deficri patiar. |
| Eclog. 2. | Ver. Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit. |
| | Derogo Datiuo & ablatiuo cum præpoſitione. |
| Pro Fon. | Cicero, Quorum uirtuti & rebus geſtis fidem & autoritatem in teſtimonio inimicitiarum ſuſpicio derogauit. |
| Pro. L. ſl | Idem, Non ego nationi huic fidem derogo. |
| De iuuen. | Idem, Dignáne cauſa uideatur, quare aut de magnificentia, aut de honeſtate quiddam derogetur. |
| | Detraho. |
| | Interdum cum datiuo, ſæpius cum ablatiuo & præpoſitione. |
| Pro M. Marc. | Cicero, Quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum addet laudibus. |
| De amici. | Idem, Multæ res ſunt, in quibus de ſuis commodis uiri boni multa detrahunt. |
| | Idem, Ille non ceſſat de nobis detrahere. |

RE.

Cicero, Quare ego non oppugnaui fratrem tuum, ſed fratri tuo repugnaui. 5. Fam.

Reſiſto.

Cicero, Sapienter ferres, ac dolori fortiter ac fortunæ reſiſteres. 5. Fam.

Refragor.

Cicero, Ne refragari homini amiciſsimo uidear. In Philip.

Reluctor.

Columel. Reluctatur oneri.

Recipio cum datiuo, promitto ſignificat, ut ſuprà.

CON.

Conuixit nobis.

Colludit tibi uel tecum

Valerius Maximus Lib. 7.

Anacharſis leges aranearum telis comparabat.

Non conſtat ſibi.

Cicero, Vt tota oratio ſibi conſtet, & ſecum ipſa conſentiat. 1. Offi.

Congruo.

Cicero, Non omni cauſæ congruit orationis unum genus. De Or. At.

Aliquando accuſatiuus uel ablatiuus additur cum præpoſitione, ut:

li. 4. Tuſ. Cicero, Corporis temperatio, cum ea congruant inter ſe, quibus conſtamus, ſanitas dicitur.

li. 3. Offi. Idem, Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur conuenienter naturæ uiuere, id habet hanc, ut opinor ſententiam, cum uirtute congruere ſemper.

Coniungo me tibi, uel tecum.

Cicero, Vt ſe nobis coniungeret.

De cla or. Idem, Academicorum ueterum diſſerendi ratio, coniungitur cum ſuauitate dicendi & copia.

Ita & conſentio.

li. 11. Fam Cicero, Vt principiis conſentiant exitus.

li. 1. Offi. Idem, Hic ſi ſibi ipſi conſentiat, ac non interdum naturæ bonitate uincatur.

Idem, Delectat hoc ipſo, quòd omnes partes inter ſe cum quodam lepore conſentiunt.

Conſentire ſibi, & conſentire ſecum, & conſentire inter ſe.

Et compoſita cum alijs præpoſitionibus nonnunquam eandem conſtructionem imitantur.

Abeſſe huic, & abeſſe ab hoc.

1. de Ora Cicero, Quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia?

In Heaut. Terent. Niſi me animus fallit, haud multum à me aberit infortunium.

2. Georg. Verg. Blando ſupereſſe labori.

Superuenit nobis.

Verg. Timidusq; ſuperuenit Aegle. Eclog. 6.

Cicero, Neq; deeſſe, neq; ſupereſſe reipublicæ uolo, li. 10. Fa.

Proſpicio nunc datiuo, nunc cum accuſatiuo.

Cicero, Quare conſulite uobis, proſpicite patriæ, conſeruate uos coniuges &c. In Catil.

Idem, Sed tamen huic malo populus Romanus proſpexit. de Fru. re

Idem, Multo enim antè tanquam ex aliqua ſpecula proſpexit tempeſtatem futuram. 4. Fam.

Idem, Sapiens, ac multum in poſterum proſpiciens uir. Pro Mu.

VIII.

Obſeruent hîc ſtudioſi & datiuos antiquos quartæ declinationis, ut:

Verg. 4. Georg.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt.

Idem, Venatu inuigilant pueri. 9. Aenei.

Idem, Parce metu Cytherea. 1. Aenei.

Idem 7. Aeneid.

Horrida præcipue cui gens, adſuetaq; multo.
Venatu nemorum.

Obſeruabis & Antiptoſin ablatiui pro datiuo, ut:

Hæret pede pes, Apud Verg. 10. Aene.

Et magno ſe corpore miſcet, apud eundem. 6. Aenei.

## QVARTA REGVLA.

Eſt pro habeo conſtruitur cum datiuo & nominatiuo, ut:

Verg. Eclog. 4.

*Eſt mihi nanq; domi, pater eſt iniuſta nouerca.*

*Perſius Sat 4.*

*Tecum habita, & noris quam ſit tibi curta ſupellex*

Hel. Par. Ouid. *An neſcis longas regibus eſſe manus?*

6. Aenei. Verg *Igneus eſt ollis uigor & cœleſtis origo.*

In Heaut Terent. *Nihil eſſe mihi, religio eſt dicere.*

li. 4 de 4 Liuius, *In me quoq; quid faceretis, minus penſi eſſe mirare,*

II.

Adduntur uerbo ſum gemini datiui, quorum alter perſonam, alter commodum aut incommodum ſignificat, ut:

*Eſt mihi lucro.*

*Eſt mihi odio.*

*Sunt exitio reipub. inteſtinæ diſſenſiones.*

li. I. ab ur Liuius, *Gaudet nunc fructui ſibi rempub. eſſe.*

Catull.

*Parua mei mihi ſunt cordi monumenta laboris:*

In Catil. Salluſt. *Qui labores, pericula, dubias atq; aſperas res facile tolerauerant, ijs ocium diuitiæq; optandæ, alijs oneri miſeriæq; fuerunt.*

Idem, *His obnoxij, quibus ſi reſpub. ualeret, formidini eſſemus.*

Liui.

Liuius, Si qua clades incidiſſet, deſertori magis quã deſerto noxæ fore. li. 10. de 1

Dicitur & eſſe in noxa.

Liuius, De quingentis ferè hominibus, qui in noxa erant, ſupplicium ſumpſit. li. 2. de 4

Sic dicimus, eſſe in culpa, & eſſe in mora.

Item, mora & culpa non eſt in me.

Verg. In me mora non erit ulla. Eclog. 3.

Plaut. Huius pro meritis ut referri pariter poßit gratia, In Milit.

Tibiq; quibus eſſe me ſummæ experior ſollitudini.

At tibi tanto ſumptui eſſe mihi moleſtum eſt.

Terent. Et iſthæc mihi res ſollicitudini eſt, neq; defetiſcar ego unquam experirier, donec tibi id quod pollicitus ſum effecero. In Phor.

Neglectui eſſe, apud Terent. in Heaut.

Quapropter neutiquam hæc res neglectui eſt mihi.

Lætitiæ eſſe, apud Salluſt. Ita illi, quibus Damaſippi mors lætitiæ fuerat, paulo poſt ipſi trahebantur, &c.

Cicero, Spero homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas & clementia. li. 15. Fa.

Salluſt. Ad uos confugi P. C. quibus quod mihi mi= In Catil.

ſerrimum eſt, cogor prius oneri, quàm uſui eſſe.

Sic dicimus eſſe alicui ſaluti, ornamento, præſidio, emolumento, auxilio, adminiculo, uoluptati, gaudio, decori, dedecori, infamiæ, uituperationi, crimini, inuidiæ, eſſe indicio, argumento, bono, malo, moleſtiæ, fraudi, damnationi, acerbitati, dolori, cordi, curæ, impedimento, præde, & quæſtui eſſe.

li. 5. ad at Cicero. Et multa prætereo, quæ tum mihi maiori ſtomacho, quàm ipſi Quinto fuerunt,

In Ver. Idem, Sicilia tibi præde & quæſtui fuit.

2. Offi. Et quæſtui habere, Cicero,

Habere rempub. quæſtui turpe eſt. Eſſe alicui exemplo.

Item, Laudi eſſe, ridiculo eſſe, fraudi eſſe, & religioni, apud Liuium Lib. 3. ab urb.

Vtilitati, leuationi eſſe, Cicero.

Documento eſſe, dixit Liuius Lib. 4. ab urb.

Dicimus item, eſſe moræ, gloriæ, ludibrio, riſui, deſpectui, oſtentui, opprobrio, contemptui, &c.

Eſſe alicui rei, dixit Terent. in Adelphis.

Etſi Enallagen eo loco eſſe iudico, pro alicuius rei, atq; ita Donatus legere maluit.

III.

Aliquando uerbo eſt, unicus tantum datiuus adijcitur, in hunc modum.

Liuius,

Liuius, Vtrum quis ex plebe ſit ferendo magno ho nor. li. 4 ab ur

Idem, Nec ducem exercitui eſſe.

Idem, Portorijs quoq; & tributo plebe liberata, ut diuites conferrent, qui oneri ferendo eſſent. li. 2 ab ur

In his & ſimilibus, ad ſupplendam ſententiam, ſubintelligunt, potens, ſufficiens, idoneus, uel ſimile aliquid, quod ſenſui quadret, ut.

Liuius, Et Scipionem Proconſ. deûm benignitate & rempub. eſſe gratiæ referendæ, ſcilicet, ſufficientem. li. 8. dc. 3.

Cornelius Celſus, Et tranſeundum ad medicamenta quæ puri mouenda ſunt, ſcilicet, idonea.

Liuius, Ea modo, quæ reſtinguendo igni forent, portantes. li. 10 dc 3

Huc referunt & ſoluendo, & inficiando eſſe.

Cicero, Nec tu ſoluendo eras. in Philip.

Idem, Cum eſt inficiando reus. De Ora.

Item uſui eſſe apud Macrobium. li. 3. ſa. 19

Sunt de agricultura ſcriptores, qui nuces & mala ſic diuidunt, ut nuces dicant omne pomum quod foris duro tegatur, & intus habeat, quod eſui eſt, malum uerò, quod foris habeat, quod eſui eſt, & durum intus includat.

IIII.

Sed cum genitiuo & participia, ſigni

ſicat idem quod facit ſeu conducit ad eam rem, ut eſt conſeruandæ libertatis, id faciat ad conſeruandam libertatem.

li. 5 ab ur *Liui.* *Turbare uolunt concordiam ordinum, quam diſſoluendæ maxime tribunitiæ poteſtatis rentur eſſe.*

Ibidem. *Idem, Adeò quicquid Tribunus plebis loquitur, etſi prodendæ patriæ, diſſoluendæq; reipub. eſt, adſueſcitis quidem audire.*

li. 7. de. 3. *Idem, Ea prodendi imperij Romani tradendæ Annibali Romæ eſſe.*

In Catil. *Salluſt. Pòſt ubi imperium regium, quod initio conſeruandæ libertatis, atq; augendæ reipublicæ fuerat, in ſuperbiam dominationemq; ſe conuertit.*

li. 3. ab ur *Liuius, Ea omnia diſcrimina talia quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ & libertatis æquæ minuendæ eſſe.*

*Eſt & apud Liuium li 5. de. 4.*

*Sum eorum ſententiæ, ſum & huius ſententiæ.*

*Et elegans formula apud Cicer. ad Atticum.*

*Eſt mihi in moribus, id eſt, mores eius probantur mihi.*

V.

Additur & ablatiuus uerbo ſubſtantiuo, cum qualitatem aliquã ſeu diſpoſitionem

ſitionem deſcribimus, ut apud Cæſarē,
Cicero erat tenuiſsima ualetu∣dine. De diuin.
Cicero, Oraculum id nunc minori gloria eſt. De Ora.
Idem, Annibalis nomen magna erat apud omnes glo-ria.
Idem, In Epiſtolis ad Quintum fratrem, Cum ſpe ſum maxima, tum etiam maiore animo.
Idem, Qua in re ſingulari ſum fato. li.6 Fam.
Idem, Mira ſum alacritate. Ad Att.
Idem, Qua indulgentia nos in liberos noſtros eſſe debemus. De Ora.
Eſſe mirifico ſtudio in aliquem, in Epiſtolis.
Ita eſſe animo alieno ab aliquo, apud Terent. In Adelp.
Cicero, Eſſe animo uacuo, magno, &c. In Brut.
Interdum accedit præpoſitio.
Cicero, Magna in mœſtitia ſum. In Philip.
Sum in eadem uolunta∣e. Ad Att.
In Epiſtolis.
Et, eſſe bona uoluntate erga aliquem. Pro Scyl.
Si hic eſſet in eodem ſcelere. 6. in Ver.
Eſſe in amore atq; delitijs alicui.
Eſſe in eadem opinione.
Eſſe in ſumma infamia, &c.

## QVINTA REGVLA.

Duos accuſatiuos pauca quædam acti-

ua adſciſcunt, ea uocant Grammatici tranſitiua, quòd tranſmigret in duos accuſatiuos actio, ut: Doceo te literas.

In Cicero Salluſt, Quem Minerua omnes artes edocuit.

li.10.Th Statius, Præceptaq; fortia bella erudijt.

Poſco te pecuniam.

11.Aenei. Verg. Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Mar. Cum rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis.

Interrogo te hanc rem, & de hac re.

Aliquando & pro altero accuſatiuo ablatiuus ponitur, ut:

.de begal Cæſar, Qui de ſuo aduentu doceant.

In Adelp Terent. Ea ne me celet, adſuefecit filium.

li.5.Fam. Cicero, Exiſtimare debes, te maximis de rebus à fratre eſſe celatum.

li.1.Offi Idem, Si deos homineſq; celare poßimus, nihil tamen eſſe iniuſte faciendum.

Dicimus, Præcor te ueniam, & uſitatius, precor ueniam à te.

5 dena de Cicero, Stultitia eſt, à quibus bona precamur, ab ijs dantibus nolle ſumere.

Pro Mu. Idem, Quod precatus ſum à Dijs immortalibus.

Aliud eſt, Precor tibi pro opto.

Præcor tibi fœlicem noctem.

Cicero, Hoc te obſecrat.

*Peto à te hanc rem, uſitatius.*

*Aliud eſt, Cornu petere, lapide petere, pro ferire. Nam hæc ad ſequentem regulam pertinent.*

II.

Eodem modo & induendi uerba, quorum quædam & uarie conſtruuntur, ut:

*Induo te tunicam, græce, Induo tibi tunicam, Induo te tunica. Sic & exuo.*

*Liuius, Sagunti excidium pia & iuſta nobis arma induit.* 10 bel. pu

III.

Et hæc uerba alterum accuſatiuum etiam in uoce paſſiua retinent, ut:

*Verg. Et inutile ferrum cingitur.* 2. Aenei.

*Martia. Dum mutat cultus, induiturq́; togam.* Lib 8.

*Proper. Matrona incedit cenſus induta nepotum* Lib.3.
*Doctus ab illo Muſicam.*

*Verba tranſitiua Tetraſticho complexus eſt Aldus*

*Flagito, poſco, peto, doceo, rogo, calceo, cœlo,*
*Exoro, admoneo, moneo, atq; interrogo, cingo,*
*Induit & ueſtit cumq́; exuo, poſtulat, oro,*
*Omnibus his quartos poteris coniungere binos.*

IIII.

Quædam item alia uerba aliquando uim tranſitiuorum induunt.

Dedit filiam ſuam Pamphilo uxorem.

Facio deos teſtes.

Cicero, Flauius noſter de controuerſia, quam habet
Ad Brut. cum Dyrrachinis, hæreditarium ſumpſit te iudicem.

Proba te uirum fortem.

Cicero, Præſta te eum, qui mihi à teneris, ut Græci
li. 1. Fam. dicunt, ungu culis cognitus es.

## REGVLA SEXTA DE SYNtaxi uerborum cum ablatiuo.

Ablatiuum ſignificantem inſtrumentum, cauſam, uel modum agendi, propemodum omnibus actiuis uerbis ſubijcimus, ut:

Horat. 1 epiſtola. Naturam expellas furca, tamen uſq; recurret.

Verg. Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

1 Aeneid. Idem, Dapibus menſas onerabat inemptis.

4 Geor. Liuius, Virtute libertatem recuperatam eſſe, cle-
li. 3. ab ur. mentia concordiam ordinum ſtabiliri poſſe.

Obſequio retinentur amici.

Cato. Aureo hamo piſcari.

Horat. Lib. 1. Epiſt.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Ouid. Nil profecturis littora bobus aras. li. 1. epiſt.
Liuius, Splendidiore nunc eos catena, ſed multo grauiore uinctos eſſe. li. 5. de. 4
Liuius, Ferit illum gladio. li. 2. ab ur
Pugno occidit.
Trebello tabulam perforat.
Catul. Pumice omnia æquata.
Liuius, Virgis cæſus, ſecuri percuſſus. li. 4 ab ur
Sagitta ictus, fulmine ictus interijt.
Cæſar. Ligna in ponte feſtucis adacta. 4 de be g
Liuius, Facere aliquid peßimo exemplo publico. li. 3. ab ur
Cicero, Non enim ijs rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus conſilio, autoritate, cauſa, quæ erant in nobis ſuperiora.
Liuius, Premendorumq; ſuperiorum arte, quæ peſſima ars nimis proſperis multorum ſucceßibus creuit, ſeſe extollebat. li. 2. de. 3.
Idem, Hanc inſitam ingenio eius temeritatem fortuna proſpero ciuilibus bellicisq; de rebus ſucceſſu, aluerat.
Idem, Promiſſa rebus confirmare. li. 2. de. 3.
Idem, Qui iure minus, ui plus poterant. li. 1. de. 3.

CAVSAE.

Horatius Lib. Epiſt.

Oderunt peccare boni uirtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Idem, Feruet auaritia, miſeraq; cupidine pectus.

Ira

Ira concitus.
Tabeſcit inuidia.
Ardet ira.
Verberat hunc odio.
Saginantur ſomno.
Vituperat inuidia.
Stupet uitio.
Lætor tuis commodis.
Pallet amore.
2. Aenei. Verg. Furto lætatus inani.
Pudore prohibitus.
Aduerſa ualetudine impeditus.
In Catil. Salluſt. Agitabatur magis magisq; indies ferox animus inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, quæ utraq; his artibus auxerat, quas ſupra memoraui.
Salluſt. Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur.
Claudia. Nam cætera regna,
Luxuries uitijsq; odijsq; ſuperbia uertit.
Ouidius 2. de arte poëtica.
Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis.
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.
Propertius Lib. 3.
Vulneribus didicit miles habere metum.
Verg. 3. Georg.

Hic

Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtu.

Liuius, Vbi non liberandæ modo ciuitates erant, ſed ex omni colluuione in confuſione in aliquam tolerabilem formam redigendæ, nec enim temporum modo ui ijs ac uiolentia & licentia turbati erant, ſed inquieto ingenio gentis. li. 4. de 4

Iuuenal. Satyr. I.

Palleat auditor, cui frigida mens eſt,
Criminibus tacita ſudent præcordia culpa.

Huc & aliæ pleræq; formulæ referuntur.

Conflictari graui peſtilentia. Cæſar de bel. ci. 2.

Aduerſa ualetudine.

Laborare ex pedibus.

Laborare febri.

MODI AGENDI.

Bellum mira celeritate confectum.

Res magna dexteritate acta.

Ouid. Fine coli modico forma uirilis amat. In Epiſt.

Liuius, Conſilio uires adiuuit. li. 5. de. 5

Idem, Suſtinuit conſilia bellum.

Idem, Punica religione ſeruata fides. li. 2. de. 3.

Cicero, Primum iudicio malo, quàm gladio, deinde gloria potius amici, quàm calamitate. In Epiſt.

Cæſar de Heluetijs, Se ita à patribus maioribusq; ſuis didiciſſe, ut magis uirtute, quàm dolo

contenderent, aut inſidijs niterentur.

Cum ablatiuus ſignificat inſtrumentum, præpoſitio cum ſubintelligitur, rarò additur, cum uerò cauſam, ſubintelligitur ob, uel propter. Porrò cum modus agendi ſignificatur, cum præpoſitio aliquando additur, aliquando ſubintelligitur.

In Catil. Salluſt. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus & ignauus æque ſibi exoptant, ſed ille uera uia nititur, huic quia bonæ artes deſunt, dolis atq; fallacijs contendit.

II.

Verbũ item afficio ablatiuo iungitur.

2. Offi. Cicero, Dicimus autem afficio honore, affectus imperio.

Sed in hoc uerbo conſuetudo eleganter loquentium imitanda eſt, & obſeruandum, quæ formulæ tantum efferantur uoce actiua, quæ tantum paßiua, quæ utraq;, Afficiunt me magna uoluptate literæ tuæ, & afficior magna uoluptate.

Afficio, afficior, honore, præmijs, &c.

Sed affectus uitijs, morbo, paßiue tantum. Peculiaris ſignificatio, cum dicimus, affecta ualetudo, id eſt, labefacta, Ita inquit Cicero,

Affectam & proſtratam rempub. opibus tuis extuliſti.

Affecta res familiaris, id eſt, damno affecta, & diminuta, apud Liuium.

III.

Copiæ & inopiæ uerbis latina conſuetudine ablatiui addũtur, in pleriſq; amarunt latini etiam genitiuos.

Spolio te pecunia. Mulcto morte.

Hoc te faſce leuabo. Eclog. 9.

Leuatus febre.

Cicero, Culpa uacare magnum ſolatium eſt. 7. Fam.

Idem, Omnis actio uacare debet temeritate.

Plaut. Adeò ut frumento affluam. In Pſeu.

Cicer. Vrbs eruditiſsimis hominibus liberaliſsimiſq; ſtudijs affluens. Pro arch

Idem, Homines ocio nimio, & ingenijs uberrimis affluentes. De Orat

Ita & Circumfluo.

Cicero, Circumfluens omnibus copijs.

Verg. 2. Georg.

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum.

Ingurgitat ſe cibo. Obruit uino.

Onerat ſtomachum immodico cibo.

Terent. Emunxi argento ſenes. In Phor.

IIII.

Quædam ex his & uarie conſtruuntur, ut:

Careo ablatiuo uſitatius.

Ouid. Morte carent animæ.

Venter caret auribus.

1. Offi. Cicero, Appetitus ſint tranquilli, atq; omni animi perturbatione careant.

Genitiuus rarius.

In Heau Teren. Omnes mihi labores fuere, quos cepi, leues præterquam tui carendum quòd erat.

Ita & abundo.

1. Offi. Cicero, Abundare præceptis inſtitutisq; philoſophiæ.

In Ora. Idem, Abundare ingenio, doctrina, ocio.

2. Georg Lactis abundans, dixit Verg.

Egeo, Nunc genitiuo, nunc ablatiuo.

In Catil. Salluſt. Maiores noſtri P. C. neq; conſilij, neq; audaciæ unquam eguere.

5. Aenei. Verg. Animos nil magnæ laudis egentes.

Eget æris, Horatius.

2. Georg Verg. Nil radicis egent aliæ.

Plaut. Saltem ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.

Cum ablatiuo.

2. Carm Horat. Non eget mauri iaculis, nec arcu.

li.2.Offi Cicero, Earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum quibus egeremus, inuectio.

3. Offi. Idem. Magnifica uero uox, & magno uiro & ſapiente digna, quæ declarat illum & in ocio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neq; ceſſaret unquam

& in

& interdum colloquio alterius non egeret.

Ita & indigeo.

Terent. Quaſi tu huius indigeas patris. — In And.

Cicero, Quid eſt, quod in hac cauſa defenſionis indigeat? — Pro Roſ.

Idem, Sed hoc unum tamen non ſumo, ut te conſoler de communibus miſerijs, quæ ad conſolandum maioris ingenij & ad ferendum ſingularis uirtutis indigent. — In Epiſt. ad Torq. Lib. 6.

Idem, Iam illa non tam artis indigent, quàm laboris. — 1. de or.

Verg. Quorum indiget uſus. — Eclog. 2.

Cum ablatiuo.

Malo uirum pecunia, quàm pecuniam uiro indigenem, Apopthegma Temiſtoclis. — Val. li. 5.

Cicero, Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos abſentes, remq; publicam quantum eſt, defendas. — li. 12 Fam

Idem, Vt magis ipſi uideantur aliorum conſolatione indigere. — 4. Fam.

Huc pertinent & compoſita à Pleo.

Verg. 1 Aeneid.

Implentur ueteris Bacchi pinguiſq; ferinæ. — li. 5 ab ur

Liuius. Religionis iuſtæ impleuit.

Idem, Omnia poteſtatis ſuæ implere. — li. 3 ab ur

Cum ablatiuo.

Impleo poculum uino.

| | | |
|---|---|---|
| In Phili. | Cicero, | Is uomens fruſtis eſculentis totum tribunal impleuit. |
| | | Compleo. |
| In Amphi | Plaut. | Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo. |
| li.6.in V. | Cicero, | Completus iam mercatorum carcer. |
| 2.Aenei | Verg. | Vterumq; armato milite complent. |
| 1 de Ora | Cicero, | Onerandum & complendum pectus plurimarum & maximarum rerum ſuauitate, copia, uarietate. |
| de ſom Sc | Idem, | Sol cuncta ſua luce luſtrat & complet. |
| de.4.li.5 | Liuius, | Is, ut pleriq; quos opes regiæ alunt, uaniloquus, maria & terras inani, ſonitu uerborum compleuit. |

Expleo tamen & repleo uſitatius ablatiuo iunguntur.

| | | |
|---|---|---|
| De Ora | Cicero, | Quorum crudelitas noſtro ſanguine non poteſt expleri. |
| De finib. | Idem, | Ea enim uita expetitur, quæ ſit animi corporisq; expleta uirtutibus. |
| 5. Fam. ad Lucei. | Idem, | Si uerò exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundiſsimæ lectionis uoluptate. |
| In Fam. | Idem, | Noli committere, ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quàm aſsiduitate literarum. |

Verg.

Verg. Hic piſcibus atram. 3. Georg.
Improbus ingluuiem ranisq; laquacibus explet.
Cicero, Vel paßim licet carpentem & colligentem, undiq; repleri iſta iuris ciuilis ſcientia. 1. de Ora
Ita & compoſita à fartio, Refertio.
Cicero, Heraclides puerilibus fabulis referſit libros. 1. de na. de.
Idem, Vita deniq; conferta uoluptatum omnium uarietate. li. 2. de fi.
Satio item & ſaturo, quod & aliquando genitiuo iungitur.
Cicero, Inimicorum crudelitas nondum eſt noſtra calamitate ſatiata. Ad Q. fr
Plaut, Hæres uitæ me ſoror ſaturant. In Sticho
Teren. Ne tu propediem iſtius obſaturabere. In Heaut
Verg. Poſtquam dextra fuit cædis ſaciata. 10. Aenei
Cicero, Saturnus appellatus quod ſaturetur annis. 2. de na. de.

## REGVLA SEPTIMA.

Repellendi ſignificationem habentia & auferendi, ablatiuos adſciſcunt, ut:

Verg. Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent. 4. Georg & 1. Aen
Cicero, Adoleſcentia à libidinibus arcenda eſt.
Idem, Natura non pœna debet homines arcere ab iniuria. li. 1. Offi. de legib.
Liuius, Depulſum ab Romanis ceruicibus iugum ſuperbo Samniti impoſuit. li 2. de. 3.

| | | |
|---|---|---|
| | | Pellere aliquem domo, poſſeßione, foro. |
| | Cicero, | Domo præcipitem expulit. |
| | | Repello. |
| Pro Milo | Cicero, | Ego Clodij furorem à ceruicibus ueſtris repuli. |
| Ade equit Rom. | Idem, | Qui à ueſtro corpore iugum acerbißimum repulit ſeruitutis. |
| | | Moueo, amoueo, dimoueo. Loco motus. |
| li.2.de.1. | Liuius, | Nec tamen is terror, cum omnia bello flagrarent, fide dimouit ſocios, quia iuſto & moderato regebantur imperio, nec abnuebant, quod unicum uinculum fidei eſt, melioribus parere. |
| | | Deijcio. |
| de be.ga. | Cæſar. | Deiecti ea ſpe Heluetij. |
| | | Auerto. |
| Lib.1. | Sueton. | A Philoſophia eum mater auertit. |
| 1.Aeneid. | Verg. | Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regẽ. |
| | | Prohibeo. |
| 4.Georg | Verg. | Inſtabiles animos ludo prohibetis inani. |
| li.2 ad at | Cicero, | Prohibere aliquem aditu, iniuria, ſepultura, detrimento. |
| Pro Seſt. | Idem, | Magnitudine pœnæ maleficio improbos ſummoueri. |
| li 1 de or. | Cicero, | Repelli oratorem à gubernaculis ciuitatum & excludi ab omnium rerum ſcientia, |
| | | Excludo. |

Cicero,

Cicero, Ne partu ab hæreditate fraterna excludere- Pro Clu.
retur.

Cæſar. Ne anni tempore nauigatione excludere- li. 1. de
tur, quod æquinoctium ſuberat. bel. gal.

Abſtineo.

Abſtineo à uino.

Lucan. Et à trepido uix abſtinet ab ira magiſtro. Lib. 4.

Horat. Abſtinuit Venere & Baccho. De ar. po

Ouid. Eſt uirtus placitis abſtinuiſſe bonis.

Cicero, Qui me oſtreis & murenis facile abſtine- li. 7. Fam.
bam, à beata etiam & malua deceptus ſum.

Vim abſtinere, apud Liuium. li. 3. ab ur

Cicero, Facilius ſe à uino abſtinuerunt.

Liuius, Ab æde tantum matris Matutæ abſtinuere li. 7. ab ur
ignem.

Terent. Riſus abſtine. In Heaut

Liuius, Seq; ipſe & ſuos ab his abſtineret. li. 4 de 4.

Abſtinere maledicto. In Philip.

Cicero, Is ſe maledictis non abſtinet. li. 3 ad at.

Idem, Abſtinere manus ab alienis pecunijs.

Idem, Ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. De Ora.

Abhorreo cum ablatiuo uſitate.

Exhorreo cum accuſatiuo, ita & horreo.

Cicero, Homo à iuris ſtudio non abhorrens. De Ora.

Idem, Abhorrere à conſuetudine communis ſenſus.

Superſedeo.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0139-7

li. 4. de. 6 | Cicero, Superſedeas cenſeo hoc labore itineris.
Idem, Verborum multitudine ſuperſedendum eſt.
1 de be g. | Cæſar. Cæſar primo & propter multitudinem hoſtium, & propter eximiam opinionem uirtutis prælio ſuperſedere ſtatuit.
De re ru. | Cato, Litibus familia ſuperſedeat.

Dimico pro contendo, uel periclitor, ablatiuo iungitur cum præpoſitione.

3. ab ur. | Liuius, Dimicare de liberis.
li. 1. Offi. | Cicero, Qui de uita gloriæ cauſa dimicant.
ad at. li 8 | Idem, Vt de omnibus fortunis Reipub. dimicem.
pro Seſt. | Idem, Rei de capite dimicantes.
Ad at. 7. | Idem, De ſua potentia dimicant homines periculo ciuitatis.

PETENDI & induendi uerba inter tranſitiua recenſuimus, nam ea nunc accuſatiuos, nunc ablatiuos adſciſcunt, ut:

Peto abs te pecuniam.
Exuo tunicam, & exuo hunc tunica.
Cæſar. Vallis ſe induebat.

li. 2. de fi. | Cicero, Torquem ſibi induit.
li. 3. ab ur. | Liuius, Nouum ingenium induerat.
9. Aeneid | Verg. Troianos exue ceſtus.
pro Liga | Cicero, Humanitatem omnem exuiſſes.
5. Aeneid | Verg. Sic ait illachrymãs hũero ſimul exuit enſem.
2. ab ur. | Liuius, Se agro paterno auitoq; exuiſſe.

II.

## Vtor, fruor, fungor, potior & veſcor, ablatiuos adſciſcunt, ut, utor uino.

Vtor hoc homine ualde familiariter. Ci. in Fa.

Liuius, Non omnia nimirum eidem dij dedere, uincere ſcis Annibal, uictoria uti neſcis. li. 2 b. pu.

Idem, Libertate modice utantur, temperatam eam ſalubrem eis & ſingulis ciuitatibus eſſe, nimiam & alijs grauem, & ijs qui habeant, præcipitem & effrenatam eſſe. li. 4 de 4

Cicero, Commoda quibus utimur, lucemq; qua fruimur, ſpiritumq́; quem ducimus, à Deo nobis dari atq; impertiri uidemus. Pro Roſ.

Idem, Cum aduerſis uentis uſi eſſemus. 4. Fam.

Sic & abutor.

Cicero, Hoc proprium eſt multitudinis, in eum primum abuti libertate, per quem conſecuta ſit. Fam. 11.

Idem, Quouſq; tandem abutere patientia noſtra: In catil.

Idem, Abuti legibus & maieſtate iudiciũ ad quæſtum atq; libidinem. Pro Seſt.

Antique dixit Terent. In prologis ſcribendis operam abutitur. In pro an

Fruor. Fruor meis ſtudijs. Saty. 1.

Iuuen. Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur dijs iratis.

I. Georg. Verg. Frigoribus parto agricolæ plerunq; fruuntur.

In ſom Sc Cicero, Hic eſt definitus in cœlo locus, ubi beati æuo ſempiterno fruuntur.

De ami. idem, Tamen recordatione amicitiæ noſtræ ſic fruor, ut beatè uixiſſe uidear, quia cum Scipione uixerim.

De finib. idem, Sapiens fruitur præſentibus.

Nec raro paßiue ponitur, ut:

li. 2. Offi Cicero, Fruendæ iuſtitiæ cauſa uidentur olim bene morari reges conſtituti.

li. 2. de 3. Liuius, Spectatum ne huc, inquit Minutius, ad rem fruendam oculis, ſociorum cædes & incendia uenimus.

Fungor.

Cicero, Poſſunt aliquando oculi non fungi ſuo munere,

li. 4. de 4 Liuius, Gratias ſe inter cætera etiam ab hoc agere, quòd admoniti eſſent, ut tam pio & neceſſario officio fungerentur.

li. 3. ab ur Idem, Aediles functos eo miniſterio.

2. Offi. Cicero, Qui adipiſci ueram iuſtitiæ gloriam uolent, iuſtitiæ fungantur officio.

Ita & compoſita, Defungor.

Pro ſe. ro Cicero, Cum ij, qui antea metuebant, redirent, & iam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur.

Idem,

Idem, Neq; ego libenter pro maximis tuis benefi-cijs tam uili munere defungor orationis. li. 10 Fam.

Perſungor.

Cicero, Qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediuntur. Pro Mur.

Idem, Cum & honoribus ampliſsimis, & laboribus maximis perſuncti eſſemus. li. 1. Fam.

Fungor aliquando cum accuſatiuo antique ponitur.

Plaut. Nam paraſitus octo hominum munus facile fungitur. In Mene.

Terent. Neq; boni, neq; liberalis functus eſt officium uiri. In Adelp.

Idem, Functus adoleſcenti eſt officium liberalis. In Phor.

Potior.

Potitus imperio.

Verg. Egreßi optata Troes potiuntur arena. 1. Aeneid.

Ouid. Tuq; tuis armis nos te potiremur Achille. li. 3. Met.

Cicero, Vincamus odium, paceq; potiamur. In Philip.

Huic uerbo nonnunquam etiam genitiuus & accuſatiuus, quanquam is rarius, additur.

Cicero, Rerum potiri uolunt. In Catil.

Idem, Noſter autem populus ſocijs defendendis terrarum omnium iam potitus eſt.

Salluſt. Si eius oppidi potitus foret. In Iugur.

Cicero, Si exploratum tibi ſit, poſſe te illius regni potiri. li. 1. Fam.

Cæſar.

| | | |
|---|---|---|
| li.1. de bel.gal. | Cæſar. | Totius Galliæ ſeſe potiri poſſe ſperant. |
| | | Cum accuſatiuo antique |
| In Adelp | | Hic potitur gaudia. Terent. |
| | Idem | Patria potitur commoda. |
| li.1. Tuſc | Cicero, | Et ego doleam, ſi ad decem milia annorum gentẽ aliquam urbem noſtram potituram putem. |
| | | **Veſcor.** |
| li.5. Tuſ | Cicero, | Lacte, caſeo, carne ueſcor. |
| De na.de | Idem, | Dij nec eſcis, nec potionibus ueſcuntur. |
| De finib. | Idem, | Veſci ijs rebus, quæ dulcem motum afferunt ſenſui. |
| 3. Aenei. | Verg. | Viſceribus miſerorum & ſanguine ueſcitur atro. |
| | Idem, | Si ueſcitur aura Aetherea, id eſt, uiuit. |
| | | Veſci uoluptatibus paratiſsimis. |
| | Conſimile eſt uino & uictito. | Victitat lacte. |
| | Cæſar de Sueuis. | Neq; multum frumento, ſed maximam partem lacte atq; pecore uiuunt. |

## OCTAVA REGVLA.

Verba compoſita nonnunquam cum accuſatiuo uel ablatiuo conſtruuntur, ui præpoſitionis, cum qua componuntur, ut:

| | | |
|---|---|---|
| In Eunu. | Terent. | Villam prætereo ſciens. |
| In Tiber. | Sueton. | Biennio continuo poſt adeptum imperium pedem |

pedem porta non extulit.
Præterfecti ſumus ſcopulos. Tranſilijt metam.
Verg. Nec dum etiam cauſæ irarum, ſæuiq; dolores Excidérant animo. 1. Aeneid
Terent. Quanta ſpe decidi. In Heaut.
Verg. 3. Aeneid.
Omnibus idem animus, ſcelerata excedere terra.
Cicero, Sed tamen, qui ſemel uerecundiæ fines tranſierit, eum bene & gnauiter oportet eſſe impudentem. li. 5. Fam

Hanc regulam infrà repetemus, ubi de præpoſitionibus agemus.

## DE PASSIVIS.

Paſſiuorum proprius caſus eſt ablatiuus, ex nominatiuo actiui factus, accuſatiuus proximus actiuo in nominatiuum mutatur, ut:

Lego Vergilium. Vergilius legitur à me,
Horat. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Terent. Ego quoq; à meis me amari & magni pendi poſtulo. In Adelp.

II.

Nonnunquam ablatiuus in datiuum mutatur, ut:

Viſus mihi, pro uiſus à me. 3 Georg.

Neq;

*neq; cernitur ulli. Verg. 1. Aeneid.*

11. Aenei. *Idem, Nulli exaudita deorum. Vota præceſq; meæ.*

*Cicero, Honeſta bonis uiris non occulta quæruntur.*

Eclog. 2. *Verg. Præterea duo nec tuta mihi ualle reperti Capreoli.*

II.

Oſeruabis & hic neutro paſſiua, ut:

*Vapulabis à magiſtro.*

li. 2 ad at. *Cicero, Qui cum ſe omnium ſermonibus ſentiret uapulare.*

li. 2. ab ur *Liuius, Sub corona uenierunt coloni alij, oppidum dirutum, ager uenijt.*

*Cicero, Hic uenijt à te priuſquam Romam ueniret.*

*Fabritius reſpondit, ſe à ciue ſpoliari malle, quàm ab hoſte uenire, id eſt, uendi.*

*Exulo, quod non rectè inter hæc recenſetur.*

*Exulare Maßiliæ, uel apud Sarmatas.*

*Solum exilij cauſa uertere.*

In Eunu *Exulo domo, Terent.*

*Exulo patria, id eſt, pulſus ſum.*

2 de diuin *Cicero, Annibal apud Pruſiam regem exulans.*

## ALIA REGULA.

Paſſiuis adduntur reliqui caſus, quos recipiunt actiua, præter accuſatiuum actiui proprium, ut:

Per-

*Percutior gladio.*

*Verres accuſatur furti.*

ALIA.

Paſſiua retinent poſteriorem accuſatiuum uerbi tranſitiui, nam id natura tranſitiuorum poſtulat, ut:

*Doceor Grammaticam.*

*Cato rogatus ſententiam.*

Mar. Lib. 8.

*Dum mutat cultus, induiturq; togam.*

*Seruus celatur conſilium.*

*Sed mollius eſt & uſitatius, Celatur de conſilio.*

*De Græciſmis ſuprà dictum eſt, qualis eſt,*

*Pluribus ille notis uariatam pingitur aluum.* Lu. lib. 9.

IIII.

Deponentia, quæ actiue ſignificant, actiuorum ſyntaxin imitantur, ut:

*Largior tibi pecuniam.*

Cicero, *Adoleſcentum eſt maiores natu uereri.* 1. Offi.

Cæſar. *Cæſar certior factus, & infirmitatem Gallorum ueritus, quòd ſunt in conſilijs capiendis mobiles, & nouis plerunq; rebus ſtudent.* 4 bel. ga.

Verg. 3. Georg.

*Victor equus forteſq; auertitur, & pede terram*
*Crebra ferit.*

| | | |
|---|---|---|
| 4 ad Her | Cicero, | Venari laudem modeſtiæ, |
| In Piſon. | Idem, | Leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falſæ gloriæ conſectari. |
| Pro Clu. | Idem, | Imperatorum rumuſculos aucupari. |
| 5. Fam. | Idem, | Ac non uereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear. |
| | | Sequor cum compoſitis, conſequor, inſequor, exequor, proſequor, aſſequor, & perſequor, cum freqentatiuis inde natis. |
| | | Ne ſequaris ea, quæ non poßis aſſequi. |
| In Orat. | Cicero, | Oratio ita flexibilis, ut ſe ſequatur, quocunq; torqueas. |
| | | Populor & populo. |
| 1. Georg. | Verg. | Populatq; ingentem farris aceruum Gurgulio, atq; inopi metuens formica ſenectæ. |
| | | Experior. |
| 7. ab urb. | Liuius. | Statuit experiri fortunam, tueri libertatem, remplublicam, ueritatem. |
| Item 3. Dec. 3. | | Intuetur imaginem. |
| De amic. | Cicero, | Amicum qui intuetur, tanquam aliquod exemplar intuetur ſui, |
| | | Aliquando & præpoſitio additur. |
| De Orat. | Cicero, | Intueri in aliquam rem. |
| Ibidem. | Idem, | Intueri in ſpeciem rerum. |
| | | Qui ſplendorem & ſpeciem huius uitæ intuerentur. |

Vlci-

Vlciſcor.

Veteres iniurias ultus eſt.

Execror.

Cicero, Omnes te oderunt, tibi peſtem exoptant, te execrantur. — In Piſon.

Mereor.

Laudem meretur.

Cicero, Iniurias ferendo maiorem laudem, quàm ulciſcendo mereri. — In Ver.

Aliquando cum ablatiuo & de.

Cicero, Scitum eſt enim illud Catonis, multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri quàm eos amicos qui dulces uideantur. — In Lædio.

Idem, Philoſophia optime de hominum eſt uita merita. — In Tuſ. q.

Idem, Opto, ut ita cuiq; eueniat, ut de republica quiſq; meretur. — In Anto.

Teſtor deum. Precor tibi fœlicem noctem.

Ouid. Sæpe præcor mortem, mortem quoq; de= — 1. de pon.

Liuius, Si quid ſcelerate in fratrem (precor idem. admiſi, nullam deprecor pœnam. — li. 10 de 4

Cæſar, Proiectis armis, mortem deprecari inci= piunt Hed. — 7. de. be g

Furatus eſt pecuniam, ſuffuratus crumenam.

Calumnior.

Nam quod antea te calumniatus ſum, indi= cabo malitiam meam. — 9. Fam.

Conor.

De pe. or Cicero, Magnum opus omnino & arduum cona-mur, ſed nihil difficile amanti puto.

Pro pub. Quintio. Idem, Dixi mihi uideri ore duriſſimo eſſe, qui præſente eo geſtum agere conarentur.

Ita & molior, & amolior, & demolior.

Con. Rul Cicero, Moliri aliquid occulte.

Pro Mil. Idem, Peſtem patriæ nefarie moliri.

Pro Clu. Idem, Moliri alicui inſidias.

Minor & interminor.

Verg. II. Aeneid.

Dicam equidem, licet arma mihi mortemq́; mine-tur.

periclitor aliquando abſolute, pro periculum adeo, uel in periculo ſum, & tunc neutraliter ſignificat, ut:

10. Fam. Cicero, Itaq; potius periclitari uolui, ſi poſſem mea præſentia facere exercitum meliorem, quàm nimis cautus uideri.

Aliquando cum accuſatiuo, ut actiuum pro experior.

pro Qui Cicero, Omnia circumſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt.

Vnde & paſſiui caſus ſunt.

In Catil. Lib. I. Cicero, Non eſt ſæpius in una homine ſalus periclitanda Reipub.

de amici. Idem, Vt utamur quaſi equis temperatis, ſic amicitijs,

citijs, aliqua ex parte periclitatis moribus amicorum.

Contemplor.

Cicero, Contemplari oculis pulchritudinem cœli. de na. de.

Imitor.

Idem, Quòd ſi ea, quæ acceperis utenda, maiore menſura, ſi modo poßis, iubet reddere Heſiodus, quid nam beneficio prouocati facere debemus? An nō imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt quàm acceperunt? li. 1. Offi.

Item Miror, admiror, demiror &c.

Quædam & uarie conſtruuntur.

Medicor morbum, medeor morbo.

Ouid. Nec formidatis illa medetur aquis. 3. de Pon Eleg. 6.

Terent. Cum ego poßim in hac re medicari mihi. In And.

Verg. 1. Georg.

Semina uidi equidem multos medicare ſerentes.

Cicero, Cum morbo alicui mederi uis, conſuetudo ualentis, & natura corporis cognoſcenda eſt. In Verr.

Idem, Hi medentur reipub. qui execant peſtem aliquam tanquam ſtrumam ciuitatis. Pro S.R.

Idem, Quanquam me non ratio ſolum conſolatur, quæ plurimum debet ualere, ſed etiam dies, quæ ſtultis quoq; mederi ſolet. li. 7. Fam.

Mederor iræ, & mederor iram dicimus.

Horat. Qui non moderabitur iræ.

li.2.de natu deo. Cicero, Deus cœlum uerſans, terram tuens, maria moderans.

Pro Balb. Idem, Sententiam aliquam, tanquam nauigium aliquod ex reipub. tempeſtate moderari.

De Orat. Idem, Tempus igitur dicendi prudentia & grauitate moderabimur.

Cum datiuo.

Pro Celio. Cicero, Tecum agam leuius, quòd & pudor tuus moderatur orationi meæ.

In part. Idem, Auditorum aures moderantur oratori prudenti.

Ad Q. fr. Idem, Moderari uerò animo & orationi cum ſis iratus, non mediocris ingenij eſt.

Huc & uerbum gratulor pertinet.

Gratulor tibi de hac re, & hanc rem.

li.3. ab ur. Liuius, Legati uenerunt gratulatum, de concordia patrum & plebis.

Ad Att. Cicero, Vt tibi de reditu noſtro gratularer.

In Philip. Idem, Brutus Ciceroni recuperatam libertatem eſt gratulatus.

Idem, Et ei uoce maxima uictoriam gratulatur.

Idem, Mihi & gratias agebant boni uiri, & nomine tuo gratulabantur.

## ALIA REGVLA.

Sed quæ neutraliter ſignificant deponentia, neutrorum Syntaxin ſequuntur

Aſſen=

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0152-6

Aſſentior tibi.

Liuius, Spes ſua cuiq; in nouis rebus blanditur. li. 5. de. 4

Adulor tibi, & te dixerunt ueteres.

Cicero, Cauendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt. 1. Offi.

Huius generis ſunt & iraſcor, conuicior, auxilior, patrocinor, obſequor, ſuffragor refragor, luctor, reluctor, obluctor &c.

Quæ paſſiue ſignificant, paſſiuorum caſus requirunt, ut:

Hæc à te paßi ſumus.

Communia item obſeruanda ſunt, ut:

Comitur te, &:

Vno comitatus Achate.

Verg. Haud equidem tali me dignor honore. 1. Aeneid

Apud eundem 3. Aeneid. Ibidem.

Et coniugio Veneris dignate ſuperbo.

## DE INFINITIVIS.

Infinitiui adduntur uerbis ſignificantibus ſenſum aut uoluntatem, Græci προαιρετικὰ uocarunt, ut:

Cupio te uenire.

Cicero, Haberetq; in animo nauem conſcendere. De diuin

Terent. Filio uxorem datum iri audierat. In And.

Verg 12. Aeneid.
Scire poteſtates herbarum, uſumq; medendi.
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

1. Epiſt. Horat. Ire foras pleno tentabat corpore fruſtra.

Memini facere, non feciſſe.

In And. Memini uidere, apud Terent.

Dicuntur autem proæretica hæc uerba, propterea quod προαίρεσιν, hoc eſt, conſilium, propoſitum & uoluntatem ſignificant, qualia ſunt, cupio, uolo, malo, nolo, pario, cogito, incipio, inſtituo, audeo, debeo, ſoleo, &c.

2. Triſt. Ouid. Nube ſolet pulſa candidus ire dies.

SECVNDA REGVLA.
de infinitiuis.

Accuſatiuus proprius caſus eſt infinitiuorum præcedens infinitiuos, & exponitur per nominatiuum adiecta particula, quòd, ut:

Aiunt probos adoleſcentes deprauari conſuetudine malorum, id eſt.

aiunt quòd probi adoleſcentes deprauentur conſuetudine malorum.

Ennij uer de Pyrr. Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe, id eſt, quòd uel tu ipſos, uel illi te uincere poßint.

In Epiſt. Cicero, Vide quàm mihi perſuaſerim, te me eſſe alterum.

terum, id eſt, quòd tu ſis alter ego. | ad Cæſar

Liuius, Conſilia audacia prima ſpecie læta, tractu dura, euentu triſtia eſſe. | li. 5 de. 4

Idem, Nec ullos prius cladem eius belli ſenſuros, quàm qui mouiſſent. | Ibidem.

Idem, Sæpe audiui, eum primum eſſe uirum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit: ſecundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. | li. 2. de. 3.

## REGVLA TERTIA.

Infinitiui adduntur nominibus adiectiuis, facultatem ſignificantibus, ut:

Difficile eſt efficere.
Facilius eſt hæc dicere, quàm facere.
Facilius eſt reprehendere, quàm imitari.
Non tutum eſt iſta loqui, uel audire.

Verg. 3. Georg.

Nec ſum animi dubius, uerbis ea uincere magnum.
Quàm ſit & anguſtis hanc addere rebus honorem.

Idem. 4. Georg.

Neſciaq; humanis præcibus manſueſcere corda.

Idem. 6. Aeneid.

Sed reuocare gradum, ſuperasq; euadere ad auras.
Hoc opus, hic labor eſt.

Cicero, Graue eſt homini prudenti, petere aliquid | li. 2. Fam.

*ab eo, de quo ſe bene meritum putet.*

## QVARTA REGVLA.

Infinitiuus eſſe, diſſimilis eſt aliorum infinitiuorum, nam caſus ſequens conuenit plerunq; cum caſu nominis præcedentis, ut:

*De Nominatiuo.*

*Tu uis eſſe miles.*

*Sic Ouidius in Epiſt. Medeæ.*

*Vt culpent alij tibi me laudare neceſſe eſt.*
*Pro quo ſum toties eſſe coacta nocens.*

*Apud Lucan. Lib. 9. uſitatius eſt, quod ait,*
*Tutumq; putauit, Iam bonus eſſe ſocer.*

*Ea formula uerè Græca eſt, Latinis erat uſitatius, communem infinitiuorum conſtructionem retinere.*

*Putauit tutum iam ſocerum bonum & clementem eſſe.*

Simonid. *Quale illud eſt, Nocet eſſe ſororem, Nocet eſſe locutum.*

*Sunt hæc & ſupra tractata in Antiptoſi nominatiui pro accuſatiuo.*

*De genitiuo nulla ſunt exempla.*

*De datiuo multa ſunt & uaria, ut:*

*Paucis in aula contingit non eſſe ſuperbis.*

*Sic Mart. Nobis non licet eſſe tam diſertis,*

*Muſas*

Muſas qui colimus ſeueriores.

Liuius, Illis timidis & ignauis eſſe licet, qui rece- ptum habent. li.1.de.3.

Idem, Vobis neceſſe eſt fortibus uiris eſſe. Ibidem.

Claudianus, Natura beatis.

Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit uti

Sed poſt datiuum ſæpe uſi ſunt ueteres accuſatiuo, ut apud Quintilianum Lib. 4.

An huic procuratorem eſſe licet?

Illi licet eſſe pium.

Terent. Apparet hunc eſſe ſeruum domini pauperis. In Eunu.

De accuſatiuo.

Gaudeo me non eſſe rudem literarum.

## QVINTA REGVLA.

Nonnunquam & infinitiuus aut oratio infinitiua pro nominatiuo ponitur, ut & ſuprà monuimus, ut:

Perſius, Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. Satyr. 5.

Et tunc neutris accommodatur, ut:

Perſius, ſcire tuum nihil eſt. Satyr. 1.

Hoc redire meum.

## SEXTA REGVLA.

In nuncupandi uerbis infinitiuos ſequitur nominatiuus, præcedenti reſpōdens, ut:

*Tu uis dici miles.*
*Ille uult uidere pius.*

*Græcum eſt:*

*Ille uult audire Theologus, id eſt, dici theologus.*

## DE GERVNDIIS.

Genitiui caſus gerundia ſequuntur nomina ſubſtantiua facultatem ſignificantia, ut ſunt: Tempus, locus, ſpacium occaſio, cauſa, gratia, prætextus, facultas, copia, poteſtas, otium, oportunitas, mos, conſuetudo, ars. Item amor, cupido, ſtudium, libido, cupiditas, libertas, &c.

*Occaſio emergendi.*

*Gratia diſcendi Athenas miſſus.*

3. Faſt. Ouid. *Tempore creuit amor, qui nunc eſt ſummus habendi.*

De Orat. *Stylus optimus ac præſtantiſsimus dicendi effector ac magiſter.*

4. Aenei. Verg. *Et quæ molliſsima fandi tempora.*

Sat. 7. Iuuenal. *Tenet inſanabile multos.*

*Scribendi* κακόηθες, *et ægro in corde ſeneſcit, id eſt. Multi laborant inſanabili morbo, uidelicet, cupiditate ſcribendi. Et de morbo utitur ſpecie ac appellatione uſitata medicus. Significat enim*

κακό=

κακόηθες ulcus, ſeu malum ex illo genere, ex quo eſt Carbunculus aut Cancer, uidelicet, ortum ex affluente putri & uirulento humore. Hoc genus uocant Chironia & Thelephia ulcera, quòd Thelephi uulnus, qui ad Achille ſauciatus fuerat, contraxerit huiuſmodi putrefactionem. Tum ſæuo malo comparat Iuuenalis cupiditatem edendi ſcripta. Hæc peſtis uix unquam magis graſſata eſt, quàm hoc tempore. Cumq; non leuiter noceat reipublicæ, optandum eſt, ut hi qui præſunt, idonea remedia quærant. Studioſi uerò caueant, ne ſine delectu omnium ſcripta mirentur, aut comprobent.

Quintilianus. Non inutilem ſcio à præceptoribus meis ſeruatum morem, qui cum pueros in claſſes diſtribuerant, ordinem diſcendi ſecundum uires ingenij dabant.

Terent. Nam & cognoſcendi & ignoſcendi dabitur Peccati locus. — In Heaut.

Cicero, Eſſe apud hominem conſtantem ignoſcendi locum. — Pro Mor

Verg. Deterior donec paulatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor succeßit habendi. — 8. Aenei.

Cicero, Equidē efferor ſtudio patres ueſtros, quos colui & dilexi, uidendi. — In Ca. ma

Liuius, Morem de omnibus ſenatum conſulendi ſoluit.

Verg. 6. Aeneid.

Nec

Nec uidiſſe ſemel, ſatis eſt, iuuat uſq; morari.
Et conferre gradum, & ueniendi diſcere cauſas.

1. Georg. Idem, Nec tibi regnandi ueniat tam dira cupido.

Pro MM Cicero, Hic dies attulit initium dicendi.

De ora. 2 Idem, Abijcere uoluntatem faciendi aliquid.

Voluntas nocendi.

Ante exil Cicero, Vti liberum ſpiritum dicendi nullam habeat poteſtatem.

SECVNDA REGVLA.

Græciſmus eſt, infinito uerbo uti pro gerundio, ut:

*Nunc eſt tempus dicere quæ ſentias, id eſt, tempus dicendi, quæ ſentias.*

*Græci enim cum gerundiorum caſum non habeant, eorum loco infinitiuis utuntur, idq; Latini nõ nullis in locis imitati ſunt, ut:*

In And. Terent. *Quòd pleriq; omnes faciunt adoleſcentuli, ut animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos alere, aut canes ad uenandum. Nam infinitiuus alere, pro ad ſtudium alendi canes, alendi equos, &c.*

Eclog. 7. Verg. *Et cantare pares, & reſpondere parati.*

2. Georg Idem, *Et iam tempus equi ſoluere colla.*

II.

Idq; notandum gerundijs in di, ſed alijs quoq; uocibus gerundiorum accidit.

Ouid.

Ouid. Eſt ætas mollis, & apta regi. 1. de. ar.
Horat. Audax omnia perpeti, li.1. Car.
Gens humana ruit, per uetitum nefas.
Idem, Cereus in uitium flecti. De ar. po
Verg. Magnum dat ferre talentum. 5. Aeneid

REGVLA TERTIA.

Adiectiua cupidus, peritus, & quædam affinia, præcedunt gerundia in di.

Videndi cupidus.
Liuius, Multitudo auida nouandi res. li. 5. de. 4
Cicero, Homo prudens & cupidus ſatisfaciendi reipub. li.10. Fa.
Idem, Vir diſcendi ſtudioſus. li. 1. de or
Verg. Aeneas celſa in puppi iam certus eundi. 4. Aenei
Imperitus nauigandi. Ci. 3. Offi
Homo peritus definiendi.
Cicero, Peritus belli gerendi. Pro Fon.

QVARTA REGVLA.

Accuſatiui caſus gerundia præpoſitione annectuntur uerbis, ut:

Mitto illum ad ſpeculandum arcem.
Ad cupiendum ingenij cultum Athenas miſſus.
Verg. Et inter agendum Eclog. 9.
Occurſare capro, cornu ferit ille, caueto.
Liuius, Et ipſe inter ſpoliandum corpus hoſtis ueruto percuſſus. li. 2. ab ur

Verg.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0161-5

2. Georg Verg. *Nanq; ante domandum Ingentes tollent animos.*

Pro le. M Cicero, *Hic autem locus ad agendum ampliſsimus, ad dicendum ornatiſsimus eſt uſus.*

## REGVLA QVINTA.

Imperſonalia ſunt, quoties ſine præpoſitione ponuntur uoces ille ſimiles gerundijs in dum, ut:

Theocri *Vigilandum eſt nobis.*

In Batto. *Sperandum eſt uiuis.*

*Ita non recipiunt caſum actiui proprium, ut:*

*Legendum eſt Platonem.*

*Non recte dicitur, etſi Græci ita loquuntur:*

ἀναγνωστέον τὸν πλάτωνα.

*Quam figuram & germanicus ſermo recipit. Sed Latini dicunt:*

*Legendus eſt Plato.*

*Alios caſus recipiunt, ut:*

*Inſeruiendum eſt amicis, tempori.*

*Ouidius 3. de arte aman.*

*Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas.*

## REGVLA SEXTA.

Caſus ablatiui Gerundia ſequuntur uerba uel cũ præpoſitione, uel ſine præpoſitione, Significant autem aliâs actiue, aliâs paſſiue. Id diſcrimen ſeries oratio-

tionis

tionis in quolibet loco indicat, ut:

Liuius, Audendo atq; agendo res Romana creuit, li.2.de.3.
id eſt, dum aliquid audent, atq; agunt.
Homines nihil agendo mala agere diſcunt.

Liuius, Medicos quoq; plus interdum quiete, quàm li.2.de.3.
mouendo atq; agendo proficere.

Verg. Alitur uitium, uiuitq; tegendo, id eſt, dum 3.Georg.
tegitur.

Verg. Aegreſcitq; medendo. 1. Aeneid

Varro, Romanus ſedendo uincit. 1 de re,ru

Quintilianus Lib. 11.
Sed memoria excolendo ſicut omnia alia augetur, id eſt, cum excolitur.

Verg. 5. Aeneid.
Quicquid erit ſuperãda omnis fortuna ferẽdo eſt.
Omnia conando docilis ſolertia uincit.

Ennius, Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem. Ci de ſen.

Verg. Quiq; ſui memores alios fecère merendo. 6. Aeneid

Idem 6. Aeneid.
Martiaq; ob patriam pugnando uulnera paßi.

Idem, Carpit enim uires, uritq; uidendo fœmina, In Georg
id eſt, dum uidetur.

Cum præpoſitione.

Præſertim cum his præpoſitionibus, in, de, è, ex, ab, cum, & pro, ut:

Cicero, Ex defendendo quàm accuſando uberior gloria comparatur.

Idem, A diſcendo nos abſterrent.

Quintilianus Lib. I.

Sed Ratio recte ſcribendi iuncta cum loquendo eſt.

In Aulu. Plautus, Heu ſenex pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam.

SEPTIMA REGVLA.

Adſciſcunt autem gerundia caſus uerborum analogicos, ut:

Gratia ſalutandi amicos domum redij.

Cicero, Hoc accuſando, illos occidendo ciuitatem labefactaſti.

In Heaut. Terent. Ea res tum dedit exiſtimandi copiam,
Quotidianæ uitæ conſuetudinem,
Quæ, cuiusq; ingenium ut eſt, declarat maxime.

Scribendo uerſus ubertatem conſequeris, & orationi ſublimitas quædam accedet.

li. 8. de. 4 Liuius, Sicut in frugibus pecudibusq; non tantum ſemina ad ſeruandum indolem ualent quãtum terræ proprietas cœliq; ſub quo aluntur mutant.

REGVLA OCTAVA.

Sed Latini eandem ſententiam per participium efferunt, eodem caſu cum altero nomine, ut:

Gratia ſalutandorum amicorum domum uenio.

Ad ſpeculandum arcem miſſus eſt eques, pro ad ſpeculandum arcem.

Salutandi amicos.

Cicero, Legendis noſtris orationem latinam efficies pleniorem. 1. Offi.

Salluſt. Magis dandis, quàm accipiendis beneficijs amicitias parabant. 2. in Cat.

Liuius, Nolite exiſtimare, beluas tantum recens captas, feritatem illam ſylueſtrem primo ſeruare, deinde cum diu manibus humanis alantur, miteſcere, in hominum feritate mulcenda, non eandem naturam eſſe. li. 8. de. 4

Idem, Tantulum hæ peregrinæ uoluptates ad extinguendum animi uigorem poſſunt. Eodem lo

Et hic rixantur Grammatici, utrum gerundia recipiant caſus, an ſit gerundium ſalutandorum cum dico, Gratia ſalutandorum amicorum redeo domum. Rectius autem eſt, meo iudicio & ad captum puerilem accommodatius, docere, quòd gerundia fiant participia, quando non regunt caſus ſuorum uerborum, ut cum dico, Salutandi amicos, ſalutandi hîc gerundium eſt, ſignificationis actiuæ, quia regit caſum ſui uerbi actiui, ſicut ſaluto amicos, cum dico ſalutandorum amicorum. Hîc ſalutandorum participium eſt paſſiuæ ſignificationis.

In prolo. Veteres uſi ſunt quadam figura, ut apud Terent.
Heauton. Creſcendi nouarum.
In Capti. Et apud Plautum, Nominandi iſtorum magis, quàm edundi copia eſt, pro nominandorum iſtorum. Hæc figura propemodum Græcum quiddam habet.

## DE SVPINIS.

Actiue ſignificant ſupina priora, & caſum uerbi ſui adſciſcunt, coniunguntur autem cum uerbis ſignificantibus motum ad locum, ut:

Venio ſalutatum amicos, ſignificatio infinitiui eſt, ſignificat enim, uenio ſalutare amicos, & uenio ad ſalutandum amicos.

In Catil. Salluſt. Et dum paucis ſceleſtis parcunt, bonos omnes perditum eant.

In Epiſt. Horat. Ne ſi forte ſuus repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

1. de ar. Ouidius, Spectatum ueniunt, ueniunt ſpectentur ut ipſæ.

In Aulul. Plautus, Coctum ego, non uapulatum dudum conductus ſum.

## SECVNDA REGVLA

Poſteriora ſupina ſignificant paſſi-

ue,

ue, & conſtruuntur cum nominibus adiectiuis facultatem ſignificantibus, ut:

*Facilis uiſu, id eſt, uideri.*

Verg. *Nec uiſu facilis, nec dictu affabilis ulli.* 3. Aeneid

Idem, *Terribiles uiſu formæ lethumq́; laborq́;.* 6. Aeneid

Plinius, *Quæ mihi relatu, & tibi auditu iucunda erunt.* Ad Apol.

Plaut. *Simul flare, ſorbereq́; haud factu facile eſt.* In Moſt.

Ouid. *Turpe quidem dictu, ſed ſi modo uera fatemur.* 2. de pon.

*Vulgus amicitias utilitate probat.*

*Sunt autem nomina, cum quibus hæc ſupina uſitate conſtruuntur, hæc ferè, bonum, dignum, indignum.*

*Fabula digna relatu, apud Ouidium.* 3. Faſt.

*Facile, difficile, iucundum, miſerabile, turpe, horrendum, &c.*

Liuius, *Conſilia callida & audacia, prima ſpecie læta, tractu dura, euentu triſtia eſſe.* li. 5. de. 4

II.

Supina item poſteriora conſtruuntur cum uerbis ſignificantibus motum de loco, ut:

Cato, *Primus cubitu ſurgat poſtremus cubitum eat.* De re. ru

## MERCANDI VERBA.

Verba contractuum, hoc eſt, quæ ſignificant mercari, uendere, æſtimare, aut aliquid pro precio facere, cõſtruuntur cum ablatiuo præcij ſine præpoſitione, ut:

*Emo Homericum codicem duobus aureis.*

6. Aeneid Verg. *Vendidit hic auro patriam.*

Ibidem. *Fixit leges precibus, atq; refixit.*

*Nihil carius conſtat, quàm quod precibus emitur.*

*Ariſtoteles libros paucos Speuſippi philoſophi poſt mortem eius emit talentis atticis tribus, ea ſumma fit pecuniæ noſtræ, M. D. CCC. coronæ Gallicæ.*

*Verg. 9. Aeneid.*

*Eſt hic eſt animus lucis contemptor, & iſtum,*
*Qui uita bene credat emi, quo tendis honorem.*

*Non emerim uitioſa nuce.*

1. Be. gal. Cæſar. *Portoria reliquaq; uectigalia paruo precio redempta habere, propterea quòd illo licente, contrà liceri audet nemo.*

In Aug. Sueton. *Frumentum quoq; in annonæ difficultatibus ſæpe leuiſſimo interdum nullo precio uiritim admenſus eſt.*

li. 3. de. 3. Liuius. *Multo ſanguine ac uulneribus ea Pœnis uictoria ſtetit.*

Iuuen. *Mullum ſex millibus emit,* Sat. 4.
*Aequantem ſane paribus ſeſtertia libris.*
*Potuit fortaſſe minoris.*
*Piſcator, quàm piſcis emi.*

Liuius, *Sextante ſal & Romæ & per totam Italiam erat.*

II.

Hæ uoces, tanti, quanti, pluris, minoris, cum cõpoſitis, ut quantilibet, quanticunque, quantiuis, tantidem, ſine ſubſtantiuis adijciuntur uerbis mercandi.

Cicero, *Non uendo pluris, quàm alij, fortaſſe minoris.* 3. Offi.

Iuuenalis, *Chryſogonus quanti doceat, uel Pollio quanti.* Sat. 7.

Sueton. *Quanti funus & pompa conſtaret.* In Veſpa.

Ouid. *Hei quanti regnis nox ſtetit una tuis.* 2. Faſt.

Iuuenal. *Res nulla minoris.* Sat. 7.
*Conſtabat patri quàm filius.*

Idem, *Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.* Sat. II.
*Tanti tibi non ſit opaci omnis arena tagi.*

Ouid. *Vix priamus tanti, totaq; Troia fuit,* Pen. Vlyſ.

Plaut. *Qui homo timidus erit in dubijs rebus, is nauci non erit.* In Moſt.

III.

Quando uerò accedunt ſubſtantiua tunc hæ quoq; uoculæ migrant in ablatiuos, ut:

*Quanto precio emiſti? Minore precio emi poterat domus, quám à te conducta eſt,*

Sat. 9. *Iuuenal. Quanto metiris precio?*

li. 2. de. 3. *Liuius, Hic miles magis placuit, cum precio minore redimendi captiuos copia fieret.*

In And. *Terentius tamen dixit, Cum faciem uideas, uidetur eſſe quantiuis precij,*

*Subintelligi uidetur homo, & erit formula laudandi, quale & illud eſt in Heaut.*

*Agrum in his regionibus meliorem, nec precij maioris habet nemo.*

*Item Plautus in Epid. Fateor me eſſe minimi precij.*

IIII.

Hi item genitiui, magni, parui, flocci, nihili, lucri, pili, aſſis. Item huius δεικτικῶς cum uerbo facio & quædam ex his cum alijs quibuſdam, ſed tamen certis uerbis iunguntur, ut:

*Magni æſtimo, magni facio, parui æſtimo, parui facio, magni pendo, parui pendo.*

Terent.

Terent. *Tu fortaſſe quid me fiat, parui pendis dum illi conſulas.* — In Heaut

Catul. *Omnes unius æſtimemus aßis.*
*Rumoreſq; ſenum ſeueriorum.* — In leſbia.

Terent. *Omnes mihi inuidere, ego non flocci pendere.* — In Eunu.

Plaut. *Reſpicio uos nihili meam gratiam facere.* — In gurg.

Terent. *Huius non faciam.* — In Adelp

V.

Non tamen temere quæuis æſtimandi uerba cum his genitiuis, ſed, ut diximus, certa uerba conſtruuntur, in quibus uſus & conſuetudo loquendi obſeruanda eſt. Non enim rectè dixeris, Emi magni, emi parui, aut emi maioris precij, ſed emi paruo, magno, minore precio.

Verg. *Haud tibi ſtabunt Aeneia paruo hoſpitia.* — I. Aeneid

Plaut. *Nimio emptæ tibi uidentur.* — In Moſt.

Varro, *Aedificantur magno, implentur magno.* — De re ru.

Terent. *Quid agas, niſi ut te redimas captum quã queas minimo, ſi nequeas paululo, aut quanti queas.* — In Eunu.

Verg. 2. Aeneid.

Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ.
Seneca, Conſtat paruo fames, magno faſtidium.
Sat. 3. Iuuenal. Magno hoſpitium miſerabile, magno
Seruorum uentres, & frugi cœnula magno,
Scilicet conſtat.
Claudia. Viuitur exiguo melius.
li. 2, Car. Horat. Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

Eſt in uſu etiam,

Magno æſtimo.

Pro do. Cicer. Glorioſa ſapientia non magno æſtimanda eſt.
Sueton. Nec tulerat tam moleſte, tam magno æſtimari honorem cœnæ tuæ.
Seneca, Falſo rationes conficis, data magno æſtimas accepta paruo.
ad At. Cicero. Ea abs te diligenter paruoq; curata ſunt.
Pro S. R Idem, Cur tantulo uenierunt?
li. 7. Fam Cicero, Sed homo acutus ei mandaſti potiſsimum, cui expediret illud uenire quàm plurimo.
3. Georg Verg. Quamuis Mileſia magno,
Vellera muten ur, Tyrios incocta rubores.

Aequi boniq; conſulo, item æqui boniq; facio,
In Heaut. apud Terent. ſunt formulæ ſingulares.

VI.

Ad huius ordinis uerba pertinet & uerbum Valeo, ut:

Mina ualet decem coronis Gallicis.

Sic Plinius loquitur, ut: li. 33. c. 3

Scrupulum ualebat ſeſtertijs uicenis.

Varro, cum accuſatiuo præcij ualeo poſuit. li. 1. de lin
Denarij, quòd demos æris ualebant, quinarij, Latin.
quòd quinos.

Mutuo item, & mutuor, quæ ſignificatione differunt.

Mutuo tibi librum, mutuo do, utendum do
Mutuor à te librum, id eſt, mutuum ſumo, utendum accipio.

Liuius, Ab amore temerarium atq; impudens mutuatur conſilium.

Cicero, A uiris uirtus nomen eſt mutuata. In Tuſ. q

Fœnero, item & fœneror pro diuerſa conſtructione diuerſam ſignificationem efficiunt. Nam fœnero uel fœneror tibi, ſignificat pecuniam do ad uſuram, fœnero uel fœneror abs te, ſignificat accipio ad uſuram.

Cicero, Vt enim benefici liberaleſq; ſimus, non ut exigamus gratiam, neq; enim beneficium fœneramur, ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus, fœneramur, id eſt, fœnori damus. In Lælio.

Cicero, Cum ille qui quæſierat, quid fœnori? In Offi.
Tum Cato, Quid hominem inquit, occidere?

Terent. Metuiſti ſi nunc de tuo iure conceßiſſes In Adelp

pau=

Paululum, atq; homini adoleſcenti eſſes Morigeratus, ne non iſthuc tibi fœncraret.

In Phor. Idem, Fœneratum iſthuc beneficium tibi pulchre dices.

Qui miſeretur inopis, fœneratur domino.

## VII.

Sunt autem uerba ad hanc Syntaxin pertinentia hæc ferè, emo, coëmo, redimo, comparo, mercor, commercor, loco, conduco, uendo, uenundo, reuendo, addico, diſtraho, uenio, id eſt, uendor, æſtimo, indico, inſcribo, conſtat, ualet.

Licere eſt æſtimari paßiua ſignificatione, quare neutro paßiuis quidam id uerbum annumerarunt.

Lib. 12. ad Att. Cicero, De hortis quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoq; audieram.

Martia. Paruo cum precio diu liceret.

In Mene. Plautus, Venibunt ſerui, ſupellex, fundi, ædes, omnia uenibunt, quiqui licebunt præſenti pecunia.

Quo in loco licebunt poſitum, pro licebuntur, uidetur.

Liceor

Liceor & licitur ab eo frequentatiuum preciũm certum pro aliqua re defero uenditori. Eſtq; uerbum emptoris proprium, Liceri, feilſchen, darauff bieten.

A liceor licitus præteritum, à licitor licitatus.

Cæſar. Portoria, reliquaq; uectigalia, paulo precio redempta habere, propterea quòd illo licente contrà liceri audeat nemo, id eſt, plus precij deferre, uel polliceri, mehr drauff legen oder bieten. li. 1. be. g.

Perſius, Et centum Græcos curto centuſſe licetur. Sat. 1.

Cicero, Licetur Ebutius, deterrentur emptores multi, fundus addicitur Ebutio. Pro Ceci

Cicero, Non licitatorem uenditor, nec qui contra ſe liceatur emptor adponet. 3. Offi.

## TEMPORIS REG. I.

Ablatiuo nomina temporis efferuntur, cum non ſignificamus durationem ſeu continuum tempus, ut:

Cicero, Superioribus diebus ueni in Cumanum. li. 7. Fam

Non ſignificatur actio, qua totum illud tempus durauerit, ſed ſemel acciderit per id tempus, & deinde deſierit, ut:

| | | |
|---|---|---|
| | | Quis his proximus diebus pontifex factus eſt? |
| li.3 ab ur | Liuius, | Puncto temporis rerum momenta uertuntur. |
| li.2.Fam. | Cicero, | Paucis diebus eram domeſticos tabellarios miſſurus. |
| Pro Milo | idem, | Triduo, aut ad ſummum quatriduo, perituru. |
| li.2.hiſto | Plinius, | Omnia plenilunio maria purgantur. |
| 2.Triſt. | Ouid. | Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat<br>Iupiter, exiguo tempore inermis erit. |
| li.3.ab ur | Liuius, | Aetate adulta. |
| | | Exacto menſe rediit. |
| | Cicero, | Quadriennio pòſt uirili toga ſumpta. |
| Eclog. 1. | Verg. | Longo poſt tempore uenit, id eſt, longo tempore poſt illa uenit. |
| | | Neq; unquam plus triduo fuit. |
| In Adelp | Terent. | Ego nouus maritus anno primum quinto & ſexageſimo fiam? |
| | Cæſar. | Quòd eo anno frumentum propter ſiccitates prouenerat. |
| Sat. 3. | Iuuen. | Non ſumus ergo pares, melior qui ſemper & omni<br>Nocte dieq; poteſt alienum ſumere uultũ. |

Nec dicimus, ſuperiores dies ueni in Cumanum. Nec ſecutus eſt analogiam Terent. cum dixit, Interea mulier quædam ab hinc triennium commigra-

grauit huic uiciniæ. Hîc duo ſunt Græciſmi, Triennium pro triennio, & huic uiciniæ, pro in hanc uiciniam. Nam triennium hîc non ſignificat durationem, ſed factum, quòd ſemel accidit ante triennium.

Sueton. Quinquies triumphauit, quater eodem mẽſe, ſed interiectis diebus. In Cæſar.

## SECVNDA REGVLA.

Accuſatiuus eſt frequentior, cum durationem ſignificamus, ſeu continuum tempus, ut:

Verg. Vna cum gente tot annos bella gero. 1. Aeneid

Idem, Ter centum totos regnabitur annos. Ibidem.

Significatur enim continua actio, quæ per totum illud tempus durauerit, nec ſit interrupta.

Cicero, Annum audientem Cratippum, idq́; Athenis. li. 1. Offi.

Tertium iam annum & uigeſimum regnat.

Natus decem annos.

Terent. Annos ſexaginta natus es, aut plus eo, ut conijcio. In Heaut.

Verg. Noctes atq; dies patet atri ianua ditis. 4. Aenei.

Idem 4 Georg.

Flet noctem, ramoq́; ſedens miſerabile carmen
Integrat.

Liuius,

| | | |
|---|---|---|
| li. 5. de 4 | Liuius, | Accedebat, quòd Scipio decimum iam prope annum aßiduus in oculis hominum fuerat, quæ res minus uerendos magnos homines ipſa ſatietate facit. |
| In Caton | Cicero, | Nemo eſt tam ſenex, qui annum non putet poſſe uiuere. |
| Ad At 7. | Cicero, | Dies noctesq; torqueor. |
| Action. 7 | | Perpotare totos dies. Idem in Verrem. |
| In Eunu. | Terent. | Sex ego te totos hos menſes quietum reddam. |
| In Moſt. | Plaut. | Iam iſta quidem abſumpta res erit, Quando dies noctesq; eſtur, bibitur, neq; quiſquam parſimoniam adhibet. |
| | | Sunt & hæ formulæ temporis in uſu. |
| | | Annus hic eſt tertius. |
| | | Annus hic agitur decimus. |
| | | Agit annum quartum & quinquageſimum |
| De ſene. | Cicero, | Si octogeſimum annum agerent. |
| | | Dicimus &, id ætatis, pro ea ætate, & eius ætatis. |
| Iu Aſin. | Plaut. | Neq; puduit eum id ætatis ſycophantias ſtruere. |
| 6. Fam. | Cicero, | Ita uiximus, & id ætatis iam ſumus, ut omnia quæ non noſtra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. |
| De ora. | Idem, | Quoniam id nobis Antoni hominibus id ætatis imponitur. |

Idem.

| | | |
|---|---|---|
| Idem, | Se in balneis cum id ætatis filio fuiſſe. | Pro Clu. |
| Liuius, | Quid ſe id ætatis ſollicitaſſent. | l.10ab ur |
| Terent. | Ego iſthuc ætatis non amori operam dabam. Item illud horæ, pro illa hora. | In Heaut. |
| Sueton. | Quare nunquam ſe publico illud horæ ſine tribunis commiſit. | In Neron |
| | Poſſunt & hæ formulæ ad Atticiſmum referri, ſicut & hoc ætatis, ut: | |
| Plaut. | Hoc demum eſt, quòd percrucior, me hoc ætatis ludificari. | In Bacch |
| | Item id temporis: | |
| Cicero, | Et noſipſi, quoniam id temporis eſt, ualetudini demus operam. | De Orat |
| | Non plus triduum, aut triduo. | |
| | Quod & in numeris obſeruatur, ut infrà dicemus. | |
| Liuius, | Ne quis plus quinginta iugera agri poſsideret. | 6. ab urb |

## TERTIA REGVLA.

### Et præpoſitiones accedunt.

| | | |
|---|---|---|
| | In paucis diebus. | |
| | Et paucis diebus. | |
| Liuius, | Cœperunt de die epulari. | li.3.de.3. |
| Horat. | Surgunt de nocte latrones. | In Epiſt. |

Pro Milo | Cicer. Et nocte, & multa nocte, & multa de nocte.

Pro Mu. | Idem, Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas.

In Adelp. | Terent. Cæterum rus cum prima luce ibo hinc. Imò de nocte cenſeo.

li. I. be. g. | Cæſar. De tertia uigilia cum legionibus tribus è caſtris profectus.

Idem, De media nocte miſſus equitatus.

In Adelp. | Terent. Adparare de die conuiuium.

Non bonus eſt ſomnus homini de prandio.

Item, diem de die ducere.

Et diem ex die.

Ad Att. | Cicero, Diem ex die expectabam, ut ſtatuerem, quid eſſet faciendum.

li. I. be. g. | Cæſar. Diem ex die ducere Hedui. conferri, comportari, adeſſe, dicere.

Terent. Eſt in diem quod promittis, Borgen.

In diem uiuere, id eſt, non cogitare de craſtino, uel futuro.

Quintil Non ut feræ, uolucres præſentis modo cibi memores, in diem uiuunt.

In Tuſ. q. | Cicero, Si barbaricum eſt, in diem uiuere, noſtra conſilia in ſempiternum tempus, ſpectare debent.

Salluſt. in Iugurt.

Panem in diem mercari.

Ita in horam uiuere.

Cicero, Qui in horam uiuunt, non modo de bonis ciuium, ſed ne de utilitate quidem ſua cogitauerunt. In Philip.

Martia. In lucem ſemper Acerra bibit.

Varro, Pleræq; pariunt in decem annos, quædam etiam in plures.

Cicero, Pecuniam ad diem ſoluere. li. 6. ad at

Liuius, Nebula erat ad multum diei. o. ab ur.

Cicero, Item emere aliquid in diem. li. 6. ad at

Item ſtatuere diem ſatis laxam, Borgen.

Cicero, Cum latronibus non ſolum de die, ſed etiam in diem uiuere.

Aliquando ſignificat ſimpliciter in ſingulos dies.

Ouid. Lib. 2. Met.

Currus petit ille paternos,
Inq; diem alipedum ius & moderamen equorum.

In dies, in horas, per ſingulos dies, & ſingulas horas ſignificant.

Verg. Eclog. 10.

Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Mutatur in horas.

Peto ut commodes mihi in unum menſem.

Sueton. Tribunitiam poteſtatem in quinquennium accepit.

Vt ſit in annum ſumptum. Ea ſignificatione.

Plinius in dies & in horas uſurpauit, Lib. 10.

Condidit in theſauros maxillarum cibum Sphyngiorum & Satyrorum genus, mox inde ſenſim ad mandendum manibus exprimit, & quod formicis in annum ſolenne eſt, his in dies, uel in horas.

Annos ad quinquaginta natus.

De Sene. Cicero, Num igitur, ſi ad centeſimum annum uixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret?

Idem, Quis eſt tam ſtultus, quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe uſq; ad ueſperum eſſe uicturum?

In aliud tempus te expectare uelim.

Auff ein ander zeit.

Vt in reliquum omnes ſuſpitiones uitet.

Terent. In tempore ad eam ueni, quod rerum omnium eſt primum.

de cla. or Cicero, Et quidem duo fuerunt per id tempus diſsimiles inter ſe.

Item à cœna, id eſt, poſt cœnam.

Ab hora tertia bibatur, Ci. Von dreien an.

4. ab ur. Liuius. Imber à nocte media coortus.

Sub item cum nominibus temporis, pauló antè uel circa ſignificat, ut:

Sub ſummum aliquid legendum.

In Calig. Sueton. Qui ſub idem tempus Syriæ præpoſitus, id eſt, circa idem tempus.

In Augu. Idem, Sub horam pugnæ tam arcto repente ſomno

*no deuinctus, ut ad dandum ſignum ab amicis excitaretur.*

Plinius de Ceruis, *Cornua ſoli animalium omnibus annis ſtatuta ueris tempore amittunt, ideo ſub ipſa die quàm maxime inuia petunt.* li. 8 ca. 32

Verg. *Et ſimulacra modis pallentia miris. Viſa ſub obſcurum noctis.* 7. Aenei.

Idem, *Sub noctem cura recurſat.* 1. Aeneid

Cicero, *Sub crepuſculum ueſpertinum.*

*Aliquando paulò poſt, ut:*

*Sub eius ſermonem.*

*Cum is frigidas ſane & inconſtantes recitaſſet literas Lepidi, ſub eas ſtatim recitatæ ſunt tuæ datæ tertio Kalendas.* 12. Fam.

Adijcio autem hîc & huius Syntaxis rationem, Vſitatiſſimum eſt ueteribus, tertio, quarto, quinto Calendas, Eſtq; Eclipſis omiſſa particula ante, Quaſi dicas, tertio die ante Calendas. Sed crebro uſurpat Cicero etiam, tertio Calendarum, & ad tertium Calendas, uel ad tertium Calendarum, ut libro VIII. ad Atticum, Octauo Iduum illinc profecti erant.

MENSVRAE ET SPACIA.

Menſurarū caſus accuſatiuus eſt, ut:

Muri ducentos pedes alti.

li. 29 c. 4 Plinius ſcribit, effoſſam herbam moly radicis longæ triginta pedes.

Plin. li 6. Muri ducentos pedes alti.

Cap. 26. Aſſeres non plus ſpacium habentes pedes binos.

Ne plus pateant palmam.

li. 36. ca 1 Plinius de Mauſoleo, Patet ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes.

Nucleus craſſus ſex digitos.

li. 6. de. 3 Liuius, Iacula quaternos longa pedes data.

2. ab ur. Idem, Spectabant furcis duodenos à terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes.

2 de bc. ci Cæſar. Storias autem ex finibus anchorarijs tres in longitudinem parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt. Storiæ decke, flechten, hur: Id eſt, ſubſtrata, à græco στρωννύω, quòd ſignificat ſterno.

II.

Nonnunquam comparatiui conſtructio obſeruatur, ut:

Sat. 13. de pigmeis. Iuuen. Tota cohors pede non eſt altior uno.

III.

Et per genitiuum, ut:

Sueton. De Auguſt. Staturæ quinq; pedum & dodrantis fuit. Quo in loco dodrans ſignificat. ein ſpan, uidelicet, nouem uncias pedis.

Cæſar. Aſſeres enim pedum duodecim cuſpidibus præfixi, atq; hi maximis baliſtis miſsi. — 2 de be ci

Idem, Duæ primum trabes in ſolo æquæ longe diſtantes inter ſe pedes quatuor collocantur, inq; eis columnellæ pedum in altitudinem quinq; defiguntur. — De bel. g

## Eſt & ſpaciorum accuſatiuus.

Cicero, Cum abeſſem ab Amano iter unius diei. — i. 5. Fam

Cæſar. Hercimiæ ſyluæ latitudo nouem dierum iter expedito patet. — 6. de be g

Verg. Eclog. 3.

Tres pateat cœli ſpacium non amplius ulnas.

Liuius, Caſtra locat ab urbe mille paſſus, & mille paſſuum. — li. 3. de. 4

Idem, Cum tridui uiam proceſsiſſet, nec paucorum dierum iter abeſſet.

Cæſar. Cum ab hybernis Ciceronis milia paſſuum quinquaginta abeſſet. — 5. de be. g

Idem, Neq; longius milia paſſuum octo hybernis ſuis abfuiſſe.

Idem, Iamq; ab eo non longius bidui uia aberant. — 6. de be g

2. ab ur. *Liuius, Caſtra ab urbe haud plus quinq; millia paſſuum locat.*

Aliquando in hoc genus formulis ponitur à præpoſitio cum ſuo caſu, ut:

li. 6 belg. *Cæſar. Poſitis caſtris à millibus paſſuum quindecim auxilia Germanorum expectare conſtituit.*

*Idem, A millibus paſſuum circiter duobus, Romanorum aduentum expectabant.*

li. 4 de. 3 *Liuius, Cum à mille ferè paßibus caſtra poſuiſſet.*

li. 37 ca. 2 *Plini. Murrhino caparci ad ſextarios tres.*

*Adiecit uerbo abeſſe ablatiuum Vergilius:*

*Nec longis inter ſe paßibus abſunt.*

li. 11. Aen *Diſtat cum accuſatiuo.*

4. triſt. Elcg. 9. *Ouid. Sulmo mihi patria eſt, gelidis uberrimus undis*

*Millia qui nouies diſtat ab urbe decem.*

2. de bc. ci. *Cæſar. Diſtantes inter ſe pedes quatuor.*

*Cum ablatiuo.*

*Iugeribusq; nouem ſummus qui diſtat ab imo,*

*Non diſcedere latum digitum.*

In Aulul. *Plaut. Si tu ex iſtoc loco.*

*Digitum tranſuorſum, aut unguem latum exceſſeris.*

## LOCA.

Nominibus regionum præpoſitiones,

nes, ſicut & appellatiuis adduntur, ſiue uerbis in loco, ſiue de loco, ſiue ad locum ſignificantibus adijciantur.

Efferimus autem tres motus localis differentias his caſibus, nempe motum ad locum accuſatiuo, in loco & de loco ablatiuo, ut:

*Fronſpergius duxit exercitum in Italiam.*
*In Italia præcipuè florent ſtudia literarũ.*
*Literæ ex Italia in Germaniam inuectæ ſunt.*

*Sicut dicimus, Venio in urbem, Habitat in foro. Proficiſcor ex urbe. Cadere in acie. Exercitum in aciem educere. Deuenire in manus uictoris.*

Liuius, *Sub umbra Scipionis ciuitatem, dominam orbis terrarum latere.* li.8.dec.4

Plaut. *Vbi ego uidi rem uerti in meo foro.*

Cicero, *Quod ſi quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cuius uagiã, ualde recuſem, nec uerò uelim quaſi decurſo ſpacio à calce ad carceres reuocari.* De Sene.

Idem, *Et ex hac uita diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo.* Ibidem

*Idem paulò pòſt.*

*O præclarum diem, quùm ad illud animorum conciliũ cœtumq; proficiſcar, & cum*

ex hac turba & colluuione diſcedam, proficiſcar enim non ad eos ſolum uiros, de quibus ante dixi, ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo uir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior.

Liuius, Mouentes alij alios, ut eas uoces, uelut oraculo miſſas, in pectora animosq; dimitterent.

li.8.de.4 Idem, Generoſius in ſua quicquid ſede gignitur, inſitum alienæ terræ, in id quo alitur natura uertente ſe degenerat.

II.

Figuratum eſt apud Verg. I. Aenei.

Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit
Littora.

Eſt enim poëtica Ellipſis præpoſitionis.

Qualia ſunt & hæc,

Eclog. 1 Verg. At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam & rapidum Cretæ ueniemus Oaxē,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.

3. Aeneid Idem, Sydera cuncta notat tacito labentia cœlo.

Idem 3. Aeneid.

Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus & omnes.

1. Aeneid Idem, Manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis, ſpretæq; iniuria formæ.

In quo

*In quo exemplo & Zeugma eſt.*
*Idem, Pulſuſq; parumper corde timor.* 6 Aeneid.
*Idem, Deuenere loco lætos, & amœna uireta.* Ibidem.

III.

Dicimus rectè, Arceo hoſtem Italia, *Sicut arceo urbe hoſtem. Hoſtem mœnibus arcent. Verg. Arcent à præſepibus.* 4. Georg

Ita & cedo ablatiuo loci ſine præpoſitione iungitur, ut:

*Cicero, Cedam tibi in præſentia foro, curia & ſanctiſsimis deorum templis, cedam uita, &c.* Ad Octa

*Idem, Dandus eſt locus fortunæ, cedendum eſt Italia.* li. II. Fam

Additur tamen & nonnunqam præpoſitio, ut:

*Cicero, Cedo inuitus de republica, cedo oppreſſus de ſortuna, de dignitate,* Ante exil

Verbo exulo aliquando præpoſitio additur, & ſubinde ſine præpoſitione ponitur, ſignificat autem plerunq; motum de loco, interdum ſignificat eſſe hoſpitem in aliquo loco.

*Cicero, Telamonem pulſum patriaq; exulantem.* In Tuſ. q.
*Terent. Domo exulo.* In Eunu.

De Orat. Cicero, *Cui Romæ exulare ius eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum adplicuiſſet.*

Macrobius, *Si propter hoc à conuiuijs exulabit philoſophia, procul hinc faceſſant & alumnæ eius, honeſtatem dico & modeſtiam.*

## IIII.

Obſeruabunt & ſtudioſi uerba compoſita, quæ nonnunquam ui præpoſitionis cum accuſatiuo uel ablatiuo loci ſine altera præpoſitione accedente conſtruuntur, ut:

1. Aeneid Verg. *Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem.*

2. Aeneid Idem, *Fatale aggreßi ſacrato auellere templo Palladium.*

Lib. 5. Lucan. *Humeris iam pondere feßis Amollitur onus.*

1. Aeneid Verg. *Detrudunt naues ſcopulo.*

2 Aeneid Idem, *Emoti procumbunt cardine poſtes.*

Ibidem. Idem, *Eſt urbe egreßus tumultus.*

Idem, *Neq; ſeruitio me exire licebat.*

Horat. *Scimus in urbanum lepido ſeponere dicto.*

1. Aeneid. Verg. *Tyriam qui adueneris urbem.*

In And. Terent. *Vt ab illa ſe cludar, hac concludar.*

Verg.

Verg. Hærent infixi pectore uultus Verbaq́ꝫ. 4. Aenei

Idem, Atqꝫ uotis ſummas leuibus perlabitur undas. 1. Aeneid

Sueton. Hæreditatem adijt.

De his formulis & infrà dicemus, ubi de præpoſitionibus agemus.

## DE LOCALIBVS, REGVla ſecunda.

Vrbium nomina primæ uel ſecundæ declinationis ſingularia in genitiuo poſita, ſignificant in loca, ut:

Sum Romæ, & ſum in urbe Roma.

Terent. degit Archita, qui ligneam columbam uolatilem fecit.

Lutetiæ frequentiſsima ſchola eſt.

II.

In declinatione tertia ablatiuo utimur, quibuſdam etiam datiuus placet.

Sum Carthagine uel Carthagini.

Sueton. Carthagine noua conuentum agens. In Galb.

Verg. Tyria Carthagine qui nunc Expectat. 5. Aenei.

Cicero,

In Philip. Cicero, Cum tu Narbone menſas hoſpitum conuomeres.

De na dc Idem, Sepultus eſſe dicitur Lacedæmone.

In Epiſt. Idem, Commendo tibi domum eius, quæ eſt Sicyone.

In 1. epiſt Horat. Romæ Tibur amnem, Ventoſus Tibure Romam.

III.

Plurali numero ablatiuo utimur.

Delphis Apollo oracula reddebat,

li. 10 Aen Verg. Ditiſsimus agri

Qui fuit Auſonidum, & tacitis regnauit Amiclys.

IIII.

Ita & appellatiua in ablatiuo ponuntur, cum ſignificatur manſio, uel aliquid fieri in loco, & additur præpoſitio, ut:

In portu nauigo. Terent.

In And. In horto deambulat. In aëre piſcatur.

Iamdudum animus in patinis eſt.

In Eunu. In eodem hæſitas luto.

Aedificat in arena.

Catul. Mulier cupido quod dicit amanti.

In uento & rapida ſcribere oportet aqua.

V.

Habito cum ablatiuo loci.

Habitat in ſuburbio.

Cicero, Demigrandum potius aliquo, quàm habitandum in hac urbe. Pro do ſu

Habitat Athenis.

Sine præpoſitione.

Verg. Lucis habitamus opacis. 6. Aeneid

Et accuſatiuo.

Verg. Atq; humiles habitare caſas. Eclog. 2.

Idem, Habitarunt Dij quoq; ſyluas. Ibidem.

Tenere item, pro loco eſſe, cum accuſatiuo.

Tenere principem locum in urbe.

Cæſar. Eum locum amicitiæ tenere, Id eſt, in eo loco amicitiæ eſſe. li. 1. bel g

## REGVLA TERTIA.

Accuſatiuo utimur ſignificantes motum ad locum, ut:

Noctuas Athenas. Proficiſcor Romam.

Confero me Vuittenbergam capiendi cultus ingenij cauſa.

Cicero, Cum Athenas, tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſsimum eſt, dedecorantem & urbis autoritatem, & magiſtri. 1. Offi.

Liuius

li.3.de.3. *Liuius. Capuam flectit iter luxuriantem longa fœlicitate atq; indulgentia fortunæ.*

Appellatiuis & regionum nominibus additur præpoſitio, ut ſuprà monuimus.

Sed proprijs nominibus oppidorum non additur præpoſitio uſitate.

*Verg.6. Aeneid.*

*Pauci quos æquus amauit*
*Iuppiter, atq; ardens euexit ad æthera uirtus.*

li.4 Car. Ode.1. *Horat. Multa Dirceum leuat aura Cygnum.*
*Tendit, Antoni, quoties in alios*
*Nubium tractatus, &c.*

Lib.2. *Plinius, Deus eſt mortali mortalem iuuare, & hæc ad æternam gloriam uia.*

li.8.de 4. *Liuius, Nullis ne meritis ſuis, nullis ueſtris honoribus, unquam in arcem tutam, ac uelut ſanctam, clari uiri peruenient, ubi ſi non uenerabilis, inuiolata ſaltem ſenectus eorum conſidat.*

II.

Venio ad locum & ad rem ſignificat.

*In ſenatum rarò uenire. Cicero.*

Ci.7. Fa. *Venire in familiaritatem conſuetudinemq; alicuius, Idem.*

Cæſar. Ita dicimus in ſpem uenire. 1.bel. ga.
In periculum uenire.
Terent. Hera in crimen ueniet, ego uero in magnũ malum. In Adelp
Cicero Venire in controuerſiam. 2. de ora.
Liuius, Venire in obliuionem. 10. ab ur.
Cicero, Venire in turpitudinem. Pro Qu.

## QVARTA REGVLA.

Ablatiuo utimur ſignificantes motum de loco uel per locum.

Redijt Carthagine Regulus.
Cicero, Teq́; non cognomen ſolum Athenis deportaſſe, ſed humanitatem & prudentiam intelligo. De Sene.
Liuius, Roma profecti cum exercitu. li. 5. de. 3.
Cicero, Sin noſtri oblitus es, dabo operam ut iſthuc ueniam, antequam ex animo tuo effluam. li. 7. Fam.

## II.

Hac iter facio, ſignificat per locum.

Ita & qua.

Cicero, Omnes introitus, qua adiri poterat in eum fundum, id eſt, per quos. Pro Ce.

In Philip. Idem, Ipſe in templum noſcio qua per cuniculum aſcendit.

Qua uerò geminatum pro tam, & quàm uel partim ſæpe poſitum inuenias.

Ad At. Cicero, Qua domus, qua aduocati ſibilis conſciſſi ſunt.

Ad Quin Lib. 3. Idem, Omnia conueſtiuit hedera, qua Baſim uillæ qua inter columnia ambulationis.

III.

Semel atq; iterum nominibus ciuitatum inuenias additas præpoſitiones.

In Ver. Cicero, Veni ad Meſſanam.

Præcipuè uerò cum adiectiua accedunt, ut:

Propter. Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Ph illis de mophoon ti. Ouidius tamen omiſit præpoſitionem in Epiſtolis, Atq; aliquis doctas iam nunc eat inquit Athenas.

IIII.

Annumerantur nominibus ciuitatum & hæc appellatiua, domus, rus, humus, militia. Nam & his omiſſa præpoſitione utimur. Sic enim dicimus.

Domus.

Sum domi, eo domum, uenio domo.

Salluſt. Igitur domi militiæq; boni mores colebantur. In Catil.

Cicero, Ridicula ex tempore ficta uel domo allata. De Orat.

Abde domo, Vergilius dixit, Ellipſi præpoſitionis, pro in domo, uel domi. 3. Georg.

Et additis adiectiuis, ut:

Cicero, Malo eſſe cum timore domi meæ, quàm cum periculo domi alienæ. 1. Offi.

Obſeruabis autem uocem domi tantum hæc ſex adiectiua admittere, meæ, tuæ, ſuæ, noſtræ, ueſtræ, & alienæ. Non enim recte dixeris: Sum domi paternæ, uel domi regiæ, ſed in domo paterna, & regia.

Cicero, Apud eum ſic fuit, tanquam domi meæ. In Epiſt.

Idem, Diodorus multos annos noſtræ domi uixit. In Tuſ. q.

Ouidius & in plurali poſuit.

Quo ruitis? ueſtras quiſq; redite domos.

RVS.

Sum ruri, eo rus, redeo, rure, ruri educatus eſt.

Terent. Nam ſenex rus abdidit ſeſe, huc raro in urbem commeat. In Hecy.

Cicero, Rus ex urbe tanquam ex uinculis euolare. 2. de ora.

li. 5. Fam. Idem, Cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te.

En Eunu. Terent. Ecce autem uideo rure redeuntem ſenem,

Humus.

In art. po Horat. Serpit humi tutus nimium timidusq; procellæ.

Iacere humi. Cicero.

De Orat Idem, Hoc uidetur eſſe altius, quàm ut nos humi ſtrati ſuſpicere poßimus.

ſignificat etiam ad locum.

1. Aeneid Verg. Septem ingentia uictor.
Corpora fudit humi.

Cuius accuſatiuo non utimur hac forma, Labitur humum, ablatiuo utimur, tollitur humo.

3. Georg. Verg. Tentanda uia eſt, qua me quoq; poßim.
Tollere humo, uictorq; uirûm uolitare per ora.

Belli & militiæ genitiuo caſu localiter uſi ſunt.

In Adelp. Terent. Vnà ſemper militiæ & domi fuimus.

Cicer. Lib. 3. de Orat.
Illi & domi & militiæ fidem ſuam præſtabant.

li. 5. Tuſ. Idem, Quorum uirtus fuerat, domi militiæq; cognita.

Nume=

NVMERI.

Ordinem ſignificant primus, ſecundus, & interrogatio quotus, ſed numerũ, unus duo tres, & interrogatio quot. At numeri diſtributionem ſinguli, bini, terni, quaterni, quini, ſeni, ſepteni, octoni, noueni, deni, undeni, duodeni, deni terni, deni quaterni &c. Viceni, triceni, quadrageni, quinquageni, ſexageni, ſeptuageni, octogeni, nonageni, centeni, ducenteni, trecenteni, quadringenteni, quingenteni, ſexcenteni, ſeptingeni, octingeni, noningeni, milleni. Bini ihe zween.

REGVLA.

Ergo intereſt, cum dicimus: Decem aurei militibus dati ſunt, & deni aurei militibus dati ſunt.

*Nam decem aurei militibus dati ſunt, ſignificat totam legionem ſimul decem tantum aureos accepiſſe, non ſingulos, ſed deni aurei ſignificat ſingulis eſſe datos decem aureos, Vt Germani dicunt, ihe einem zehen gulden.*

*Liuius, Conſules binas legiones ſcribere iuſsi, yeder zwo.* li.1.de. 4

1 de be ci. Cæſar. Iamq; ad denarios quinquaginta in ſingulos modios annona peruenerat.

li.1.de. 4 Liuius, Binis æris in modios populo diuiſerunt.

Quod ſic dici poterat,

Singulos modios duobus aſsibus diuiſerunt.

3.de. 4. Idem, In ſingulos pedites dati octingenti æris.

li 6.de.4 Militibus, qui currum ſequuti ſunt, trecenos, uicenos, quinos aſſes diuiſit, id eſt, ſingulis centum quinq; & uiginti aſſes.

Sueton. Congiaria populo frequenter diuiſit, ſed diuerſæ uerè ſummæ, modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos quinquagenos numos.

Verg. 5. Aeneid.

Bina bonum nobis Troia generatus Aceſtes,
Dat numero capita in naues.

li.1. ab ur Liuius, Viduæ attributæ, quæ bina milia æris in annos ſingulos penderent.

Idem, Sempronio datæ legiones duæ, quæ quaterna milia peditum erant.

II.

Inuenias etiam, cum diſtributiuis uſi ſint, nomen ſinguli adieciſſe, ut:

li.9.de.4 Liuius, Singulis centena milia.

Idem,

| | | |
|---|---|---|
| Idem, | Bini ſenatores ſingulis cohortibus præpoſiti. | li.3.ab ur |
| Sueton. | In pedites ſingulos ſuper Bina H. S. in equites uicena quaterna milia nummûm dedit. | In Cæſar. |
| Liuius, | Bini ex ſingulis claßibus. | 2. ab urb |
| Idem, | In ſingulos annos bina iugera acciperet. | li.1.de.4 |
| Idem, | In ſingulos equites togas & tunicas, & quadrigatos nummos quinos uicenos dederunt. | li.2. de.3 |
| Idem, | Quina dena iugera agri data in ſingulos pedites. | li.5, de.4 |

III.

Poëtæ tamen diſtributiuis pro alijs numeralibus abuſi ſunt.

| | | |
|---|---|---|
| Verg. | Septeno gurgite, pro ſeptem gurgitibus. | 1. Georg. |
| Idem, | Per duodena regit mundi ſol aureus aſtra. | |

IIII.

Plerunq; tamen hæc nomina diſtributiua pluralibus tantum adhærent, ut:

Binæ literæ, pro duabus epiſtolis.

| | | |
|---|---|---|
| Terent. | Ex unis geminas mihi conficies nuptias. | In And. |

Voci liberi, pro natis, alia etiam numeralia addunt, ut:

| | | |
|---|---|---|
| Liuius, | Tribus liberis, quorum nemo Cæſoni cedebat. | 3. ab ur. |

V.

Ordinis nominibus ſic utimur, Tertio quoq; die, ihe am dritten tage.

2. ab urb. *Liuius, Cætera multitudo ſorte decimus quiſq; ſupplicium lecti.*

Eclog. 8. *Verg. Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus.*

*Id eſt, Duodecim iam annos natus eram.*

Alioqui genitiui plurales nominibus, ordinis adduntur, ſicut & partitiuus, ut:

Sat. 8. *Iuuen. Regum ultimus ille bonorum.*

*Ita & Quot & Quotus.*

In And. *Terent. Quot illic hominum litigant?*

*Iuuen. Quota pars fecis Achææ?*

## DE IMPERSONALIBVS
*prima Regula.*

Imperſonalia inchoant conſtructionem ſine nominatiuo, ut:

*Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.*

*Conuenit diſcipulo, uereri præceptorem.*

Illud docet Etymologia, duplicia eſſe imperſonalia, uidelicet, Alia paſſiuæ quæ mutuantur terminationem, tertiæ perſonæ paſſiuorum, ut:

Ludi-

*Luditur, amatur, atq; egetur acriter, apud Plautum.* In Pſeu.

Alia uocis actiuæ, quorum propemodum certus eſt numerus. Horum conſtructio magis uaria eſt, quàm aliorum, ut poſtea indicabimus.

SECVNDA REGVLA

Paſſiuæ uocis imperſonalibus addi poteſt gemina paſſiuorum cōſtructio, uidelicet, ablatiuus cum præpoſitione,

*Dicitur à Stoicis, omnia propter homines condita eſſe, homines uerò conditos eſſe propter deum, uidelicet, ut genus aliquod exiſteret & celebraretur deus. Quare ſinguli homines aliquid operæ conferre debent ad patefaciendam & illuſtrandam gloriam Dei.*

REGVLA TERTIA.

Imperſonalia paſſiuæ uocis accerſunt cæteros caſus primitiuorum, quos admittit natura uerbi paſſiui, ut:

*Luditur tibi.*

*Inſeruitur tempori.*

*Perſius. Satyr. 3. Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno.*

Accuſatiuum autem proprium actiuis non recipiunt apud Latinos.

Avaritia [illegible]



Vt non ſolet dici Latine, Legitur Vergilium, etſi Græci ita loquuntur, ſicut & Germani, Man liſet den Virgilium.

## QVARTA REGVLA.

Inchoant conſtructionem ſine nominatiuo etiam perſonalia actiuæ uocis ſed & alijs alij caſus poſtea ſubijciũtur.

De hac uarietate traduntur ſequentes regulæ.

### PRIMA.

Eſt, intereſt, refert, perſonam, genitiuo deſignant, & ſequuntur fere infinitiua, alias coniunctiua, cum particula, aut particulis interrogatiuis, ut:

In Tiber. Sueton. Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.

Non eſt ſapientis dicere, non putâram.

Lib. 3. de P. 2. Liuius, Si reticeam, aut ſuperbus, aut obnoxius uidear, quorum alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti, alterum ſuæ.

3. de finib Cicero, Eſſeq; hominis ingenui, & liberaliter educati, uelle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam uiris.

1. Offi. Idem, Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias.

Idem,

Idem, Fortis uerò animi & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aduerſis, nec tumultuantem de gradu deijci, ut dicitur. Ibidem.

Intereſt.

Principis intereſt, autoritatem publicarum legum, ſaluam & incolumem conſeruare.

Cicero, Intereſt omnium rectè facere. De finib.

Idem, Cupio excurrere in Græciam, magni intereſt Ciceronis. uel mea potius, uel me hercule utriuſq;, me interuenire diſcendi. 14. ad at.

Refert.

Reipublicæ refert, conſeruare literas, & ut conſeruentur literæ.

EXCEPTIO.

In aliquot pronominibus à regula diſcedimus. Nam mea, tua, ſua, noſtra, ueſtra, ablatiui adijciuntur his duobus uerbis, refert & intereſt, ut:

Tua intereſt adeſſe.

Cicero, Si quid eſt, quod eos ſcire, aut noſtra aut ipſorum interſit. 2. Fam.

Idem, Quod mea intelliges multum, tua nullam in partem intereſſe. Lib. 3.

Terent. Tua quod nihil refert, percontari de ſine. In Hec.

Grammatici affingunt ridiculam rationẽ, cur horum pronominum ablatiuis utamur, nam

cum

*cum hæc uerba ſignificent pertinere, rectè dici putant, Mea intereſt, quaſi in re mea eſt, & refert, quaſi res mea fert.*

*Addunt & cuia, ut:*

Pro Mur *Cicero, Ea cædes crimini potißimum datur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.*

II.

Adduntur & aliæ uoces, magni, permagni, parui, quanti, &c, ut:

In Epiſt. *Cicero, Permagni intereſt tua, an redditæ ſint literæ.*

In Phor. *Idem, Quanti reipub. interſit, omnes copias in unum locum conuenire.*

*Terent. Parui retulit, non ſuſcepiſſe, intuenda eſt quæ dotem petat.*

Additur & aliquando accuſatiuus cum præpoſitione, in hunc modum.

1 de na. de *Cicero Magni intereſt ad decus & ad laudem huius ciuitatis, ita fieri.*

5. Fam. *Idem, Equidem ad noſtram laudem non multum uideo intereſſe, ſed ad properationem intereſt, non expectare.*

3. Fam. *Idem, Magni enim uidebatur intereſſe, ad eam neceßitudinem, quàm nobis ſors tribuiſſet. &c.*

Aliud eſt, cum ponitur intereſt pro differt, ut:

Terent. Homo homini quid præſtat? In Eunu.
Stulto intelligens quid intereſt?

Cicero, Atq; inter hanc uitam perpolitam humanitate & illam immanem nihil tam intereſt. quamuis & ius horum utro uti uolumus, altero eſt carendum. Pro Seſt.

Ponitur aliquando & refert abſolute, ut:

Verg. Nec numeros comprendere refert. 2. Georg.

III.

Verbo Eſt adijcimus, meum tuum, ſuum, noſtrum, ueſtrum, in quibus formulis ellipſin eſſe, & officium ſubaudiri uolunt, ut:

Meum eſt iniuriam non afferre.
Tuum eſt illatam mußitare.

Terent. Non eſt mentiri meum. In Heaut.

Idem, Sed noſtrum eſt intelligere, utcunq;,
Atq; ubicunq; opus ſit obſequi.

Idem. Tuum eſt, ſi quid præter ſpem euenit, ignoſcere.

Secun-

## SECVNDA REGVLA.

Datiui perſonam his uerbis addunt,
ſequntur ferè infinitiui, libet, licet, pa-
tet, liquet, conſtat, contingit, placet, ex-
pedit, prodeſt, obeſt, nocet, ſufficit, ua-
cat, accidit, conuenit, reſtat, præſtat, &
ſimilia quædam his annumerantur, quę
quanquam perſonalia ſunt, tamen mi-
grant conſtructione in hunc ordinē ut:

Lib. 1. *Luca. Tolle moras, ſemper nocuit, differre paratis.*

*Martia. Lanificas nulli tres exorare puellas*
*Contingit, obſeruant, quem ſtatuere, diem.*

*Iuuen. Sæuis inter ſe conuenit urſis.*

In And. *Terent. More hominum euenit, ut quid ſim nactus mali, prius reſciſceres tu, quàm ego, quid tibi euenit boni.*

In Heaut. *Idem, Expedit bonas eſſe uobis.*

Sat. 2. *Iuuen. Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem*
*Occeanum, quoties aliquid de moribus audent,*
*Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt*
*indocti primum.*

In Adelp *Terent. Non hercule ocium eſt, mihi nunc auſcultare.*

l. 4 de 4 *Liuius, A cenſu maxime & ſenatum & iudices legit, potentioremq́; eam partem ciuitatum fecit,*

*fecit, cui ſalua tranquillaq́; omnia magis expediebat.*

Cicero, *Etſi non ſatis mihi conſtiterat, cum aliquâne animi mei moleſtia, an potius libenter Athenis uiſurus eſſem.* li.13.Fam

Conſtat aliquando cum accuſatiuo & præpoſitione inter, ut:

Cicero, *Hominem longe audaciſsimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam, & quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoq; inſaniunt, inſaniſsimum.* Pro R. A

Idem, *Vt inter omnes conſtat antiquos.* De Orat

Cum perſonaliter uſurpantur hæc uerba, nominatiuus præponitur, & uariantur perſonis ac numeris, ut:

Catull. *Nec facta impia fallacium hominum cœlicolis placent.*

## REGVLA TERTIA.

His uerbis, iuua, decet, delectat, oportet, accuſatiui adduntur, ſequuntur infinitiui, ut:

*Principem oportet pati legem, quam condidit*

Decet.

Salluſt. Omnes homines ſumma ope niti decet, ne uitam ſilentio tranſeant, uelut pecora.

De finib. Cicero, Decet chariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmetipſos.

In Tuſ. q Idem, Oratorem iraſci non decet, ſimulare non dedecet.

Sed hoc ſæpius perſonaliter uſurpatur, ut:

Secundas res decent ſuperbiæ.

Verecundia decet adoleſcentiam.

Cicero, Nec uelle experiri, quàm ſe aliena deceant.

Idem, Id enim maxime quemq; decet, quòd eſt cuiuſq; ſuum maxime.

Aliquando Græca conſtructio obſeruatur, ut:

Terent. Ita uobis decet.

ὡς πρέπει ὑμῖν.

In Offi. Cicero, Quando id deceat prudentiæ tuæ.

Iuuat.

Nil iuuat amiſſo claudere ſepta grege.

Vſurpatur & hoc crebro perſonaliter, ut:

De Ora. Horat. Multos caſtra iuuant lituiq;.

REGVLA QVARTA.

In quarto ordine imperſonalium pathetica ſunt, quæ præcedũt accuſatiui, ſequun-

ſequuntur genitiui, ea ſunt, pœnitet, pudet, piget, miſeret, & miſereſcit, ut:

Cicero, *Pœnitet eum ſenectutis ſuæ.*

Terent. *Noſtri noſmet pœnitet.* In Phor.

Cicero, *Suæ quenq; fortunæ pœnitet.* In Epiſt.

Verg. *Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum.* Eclog. 2.

Idem, *Officio nec te certaſſe priorem pœniteat.* 1. Aeneid

Cicero, *Viri fortis eſt, ne ſupplicijs quidem moueri, ut fortiter feciſſe pœniteat.* Pro Milo

Cæſar. *Et his rumoribus atq; auditionibus permoti te ſummis ſæpe rebus conſilia ineunt, quorum eos è ueſtigio pœnitere neceſſe eſt, cum incertis rumoribus ſeruiant, & pleriq; ad uoluntatem eorum ficta reſpondeant.* 4 de be g

Et alia quadam ſignificatione, pro parum eſt, uel non ſatis uidetur.

Cicero, *Tam diu autem uelle debebis, quo ad te, quãtum proficias, non pœnitebit.* 1. Offi.

Terent. *Me quantum hic operis fiat, pœnitet.* In Heau.

Idem, *An pœnitebat flagitij, te autore, quod feciſſet adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?* In Eunu.

Piget, Tædet.

Terent, *Fratris me quidem piget, pudetq;.* In Adelp.

Saluſt. *Me ciuitatis tædet, morumq; piget.* In Caton.

Pudet.

*Pudet me negligentiæ meæ.*

Pro do ſu Cicero, *Me non ſolum piget ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudet.*

2. in Ver. Idem, *Sunt homines, quos infamiæ ſuæ neq; pudeat, neq; tædeat.*

Miſeret.

*Miſeret amicum calamitatis.*

In Heaut Terent. *Tuarum miſertum eſt fortunarum.*

In And Idem, *Nonne te miſeret mei?*

Idem, *Inopis nunc te miſereſcat mei.*

Rarum & inuſitatum eſt, his uerbis nominatiuum addi, ut:

In Adelp. Terent. *Hei mihi, non te hæc pudent?*

Plaut. *Neminis miſereri certum eſt, quia nemo miſeret mei.*

Annumerant impersonalibus, debet, cœpit, incipit, deſinit, ſolet, poteſt. Degenerant enim in impersonalia, cum non præponuntur nominatiui.

*Debet adoleſcentiam pœnitere peccati.*

*Tædere ſolet auaros impendij.*

Cicero, *Non poteſt iucunde uiui, niſi cum uirtute uiuatur.*

Et aiunt, ſolent, ſine perſonis efferuntur,

tur, quæ tamen inter imperſonalia nolim numerari. Nam omiſſa perſona figura eſt, ſicut in uerbis, pluit, tonat, ubiq; per eclipſin diſſimulatur nominatiuus.

*Aër tonat.*
*Homines aiunt.*

## DE PARTICIPIIS.

Participia imitantur uerborum ſuorum conſtructionem, ut:

*Legens Vergilium.*
*Diligendus ab omnibus.*

Et per datiuum, ut:

*Res audita mihi, non credita.*

*Liuius Lib. 2. Bel. Pu.*

*Itaq; ſatis apparebat, nec deos, nec homines conſulentem, ferociter omnia ac præpropere acturum.*

*Iuuen. Pectora noſtra duas non admittentia curas.*

II.

Degenerant autem in nomina, cum
erbo

uerborum caſus amittunt, quemadmo-
dum ſuprà admonuimus, ut:

In Phor. *Fugitans litium.*

9. Aenei. Verg. *Et patiens operum, paruoq́; adſueta iuuentus.*

2. Aenei. Idem, *Iuſtißimus unus.*

*Qui fuit in Teucris, & ſeruantißimus æqui.*

li. 2. be. P Liuius, *Conſul ferox ab conſulatu priore, & non modo legum aut patrum maieſtatis, ſed ne deorum quidem ſatis metuens erat.*

Verg. 8 Aeneid.

*Quicquid tecum inualidum metuensq́; pericli eſt.*

Grammatici tradiderunt, participia tripliciter fieri nomina. Conſtructione, cum caſum uerbi amittunt, ut:

Salluſt. *Alieni appetens, ſui profuſus.*

Comparatione, ut:

*Cupientior famæ, quàm pecuniæ.*

Cicero, *Exoptatißimas nobis literas.*

Compoſitione, quando componuntur cum ea uoce, cum qua uerba, à quibus cadunt, componi non poſſunt, ut:

*Horat. in art. poe.*

*Indoctusq́; pilæ, diſciue trochiue, quieſcit.*

REGVLA.

Duo ablatiui coniunguntur deſignant,

gnantes conſequentiam, alter participij alter nominis, explicari autem poſſunt per particulas cum, dum, poſtquam, & ſimiles, ut:

*Imperante Maximiliano Veneti grauiter afflicti ſunt, id eſt, cum imperaret Maximilianus.*

*Liuius Lib. 2. dec. 3.*

*Cæteris omnibus ſalutaria magis, quàm ſpecioſa ſuadentibus, iratus ſe ex concilio proripit.*

Ouid. *Nil non mortale tenemus,*
*Pectoris exceptis ingenijq; bonis.*

II.

Dicimus & ad hunc modum diſſimulato participio.

*Imperatore Maximiliano.*

*Imperatore Carolo, Galli magna pugna uicti ſunt ad Mediolanum à Germanis.*

*Qualia ſunt & hæc.*

*O fortunatam natam me conſule Romam.*

*Caio & Cæſare conſulibus.*

*Me autore, te ſuaſore.*

Plaut. *Me ſuaſore atq; impulſore factum eſt.*

*Dextro Hercule.*

Horat. *Interprete lingua.*

In talibus enim participium ſubintelligitur, uidelicet exiſtente, ut:

*Hercule exiſtente dextro.*

III.

Aliquando ſolum participium præteritum in neutro genere ponitur, in hunc modum.

li.4 de 4 *Liuius, Permiſſo ſeu dicere prius, ſeu audire mallet.*

li.10 de 4 *Idem, Scipionem uelut iam debellato, quod ad Syphacem Carthaginenſesq́; attineret, Vticæ oppugnandæ intentum auertit fama.*

*Salluſt. Audito regem in Ciliciam tendere.*

*Plinius, De ſatu arborum abunde monſtrato.*

IIII.

Vſurpantur & participia pro infinitiuis, ut:

*Opus eſt maturato, pro maturare.*

*Opus eſt facto, pro facere.*

In Heaut *Terent. Sic dicto opus eſt, ſi me ſaluum uis.*

In Hecyr *Idem, In arcem tranſcurſo opus eſt.*

*Salluſt. Priuſquam incipias, conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſt.*

Atq; hæ figuræ ex Græcis aoriſtis, natæ eſſe uidentur.

*Certa*

V.

Certa item quædam participia uoce paſſiua, actiuam ſignificationem & ſyntaxin obtinent, ut: aoriſti Græci, ut ſunt iuratus, coniuratus, tacitus, conſuetus, ſuetus, excretus &c.

Verg. *Multi iam excretos prohibent.* 7. Aenei.

Idem, *Suetus ſuccedere tecto.* 3. Georg.

Idem, *Et coniuratos cœlum reſcindere fratres.*

VI.

Obſeruabunt & pueri periphraſin, quæ fit eleganter per participia, & hæc ferè uerba, do, uolo, facio, reddo, curo, habeo, & ſimilia, ut:

*Do tibi hoc effectum, id eſt, efficiam.*

*Rogatum te uelim.*

Terent. *Dabo tibi inuentum conſilium.* In And.

Idem, *Inuentum tibi curabo, & mecum adductum tuum Pamphilum.* Ibidem.

Ne tamen cū his formulis infinitiuis commiſceas, in quibus eſſe ſubauditur.

*Sic dictum oportuit.*

*Hoc & hoc factum oportuit.*

Terent. *Nonne prædictum, nonne communicatum oportuit?* In And.

Plaut. *Iam ſublimem hunc raptum oportuit.*

VII.

Duo item uel plura commata eleganter in unum contrahuntur, uerbis in participia mutatis, ut:

Salluſt. *Adherbalem cruciatum necat, pro, cruciat & necat.*

*Liuius. Lib. 10. dec. 4.*

Decernite *criminibus, mox ferro decreturi.*

Idem, *Forem ex æde lunæ raptam tulit, id eſt, rapuit & pluit.*

Idem, *Cæterum in aduerſum uctum ne quicquam eos tendentes prope terram lux oppreßit id eſt, cum tenderent.*

Idem, *Quæ diræ breui ab omnibus dijs exauditæ, ut ſæuiret ipſe in ſuum ſanguinem, effecerunt.*

Idem, *Ad has excipiendas uoces ſpeculator ex conuiuis Perſei miſſus, cum incautior obuerſaretur, exceptus à iuuenibus fortè triclinio egreßis, male mulctatur.*

## DE ADVERBIIS.

ADVerbia ſubijciuntur uerbis, ad explicandas circumſtantias, locorum, temporum & ſimiles, ut:

Feſti-

*Feſtina lentè.*
*Mature adſis.*
*Furenter iraſcitur.*

Nomina degenerant in aduerbia apud Latinos ſingulari numero.

*Horrendum clamat.*
*Toruum & tragicum uidet.*
*Magnum ſtridens.*

Verg. *Solo recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.*

Apud Græcos plurali numero, idq́ Latini imitati ſunt, ut:

Verg. *Nec ſera comantem.*
*Narciſſum, pro ſero florentem. Narciſſus enim poſt reliquos flores prodit circiter Septembrem.*
*Etſi autem aliqua ex parte ſimilis eſt narciſſus ei flori, qui apud nos uocatur zeitloſen, tamen ab eo re uera differt, & propriè Colchicum ſignificat zeitloſen.*

Verg. *Et pede terram Crebra ferit.*

SECVNDA. REGVLA.

Aliquando tamen non ad uerba, ſed ad alias orationis partes aduerbia referuntur, ut:

*Homo egregie impudens, bene doctus, ualde*

*grauis, uehementer crudelis.*

Cicero, *Quis unquam fuit tam inſigniter impudens?*

Verg. *Infœlix ô ſemper ouis pecus, &c.*

Et ſubſtantiuis.

In Adelp. Terent. *Eia ne parum ſis leno.*

*Admodum puella, Admodum anus.*

## TERTIA REGVLA.

Non ſubijciuntur caſus nominũ aduerbijs præter pauca, pridie, poſtridie, &c. de quibus diximus in Etymologia.

Quibuſdam tamẽ loci, temporis, aut quãtitatis aduerbijs genitiuus iungitur, quæ ſuprà ad Atticiſmum retulimus.

*Huc dementiæ, eò temeritatis, eò diſcordiæ, Cæſar.*

*Nuſquam gentium, Vbiq; terrarum.*

*Interea loci. Terent. in Andria.*

Item quæ partitionem aut diſtributionem ſignificant, genitiuus, ceu partitiua nomina gaudent, ut.

In P. Hec Terent. *Partim earum exactus ſum.*

Inſtar item genitiuo gaudet.

9. Aenei. Verg. *Inſtar montis equum.*

Aliquando tanquam nomen ponitur.

Idem,

Idem, Quantum inſtar in ipſo. 6. Aenei.

Liuius, Vnus qui geſſerat inexplebilis uirtutis, ue- li. 8. de. 4
ræq; laudis, parum inſtar eorum, quæ ſpe &
magnitudine animi concepiſſet receptas Hi-
ſpanias ducebat.

II.

Obſeruanda eſt & comparationis cō-
ſtructio in aduerbijs. Cōparatiui enim
gradus aduerbia cum ablatiuo, ſuperla-
tiui cum genitiuo plurali conſtruuntur.

Melius te canit.

Expeditius cæteris loquitur.

III.

• Item deriuatio obſeruanda eſt, non-
nunquam enim aduerbio primitiui ca-
ſus additur, ut:

Obuiam illi proceſsimus. Similiter huic ueſtitus.
Inutiliter ſibi locutus. Propinquius tibi habitat quā
nobis, propius, proxime urbem caſtra mouit.

IIII.

En & ecce nunc accuſatiuo, nunc no-
minatiuo adhæret, ut:

Verg 5. Aeneid.

En dextra fidesq;. En quatuor aras.

Cicero,

Ecce autem noua turba & rixa.

Idem,

De finib. *Idem, Ecce miſerum hominem, ſi dolor ſummum malum eſt, dici aliter non poteſt.*

Priſci ex his nomina formarunt, ut:

In And. *Terent. Ellum confidens, catus &c.*

In Eunu. *Idem, Eccum Parmenonem.*

*Sed ecca ipſa egreditur, &c.*

V.

Nedum in oratione affirmatiua quod maius eſt, præmittit, quod minus, ſubnectit, ut:

*Sanguinem pro te funderem, nedum pecuniam, id eſt, non modo, uel multo magis.*

Contrà in negatiuis orationibus, quod minus eſt, præcedit, quod maius, ſequitur, ut:

*Non profunderem pro te pecuniam, nedum ſanguinem, id eſt, multo minus.*

16. Fam. *Cicero, Vix in ipſis tectis frigis uitatur, nedum in mori & uia ſit facile abeſſe ab iniuria temporis.*

*Idem, Me uerò nihil iſtorum ne iuuenem quidem mouit unquam, nedum ſenem*

Superne, inferne, radicitus, funditus, de loco ſignificant.

*Antiquitus tempus præteritum, ut:*

li. 2. be. ci. *Cæſar. Panico enim uetere atq; hordeo currupto*

Omnes

TAXIS

nimem, si dolor summum

r non potest.

omina formarunt,

, catus &c.

nem.

greditur, &c.

ne affirmatiua quod

, quod minus,

em, nedum pecuniam,

multo magis.

gatiuis orationibus,

cedit, quod maius,

pro te pecuniam, nedum

ulto minus.

frigis utitur, nedum

c abesse ab iniuriis

m ne iuuenem

senem

adicitus, funditus,

teritum, ut:

e atq; hordeo

Omnes

Monsieur

Monsieur Zorgner

Estudiant des belles lettres

Sum nocamus

Isa: 40

Verbum Domini manet in

Eternum.

Luc: 22

Celum et terra transibunt,

Verba autem mea non transibunt

Ieva Lyr.

Verbum Dei altissimi fons

sapientia

ULB Halle 3
007 728 14X

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0223-0



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0224-6

# SYNTAXIS

OLIM A' PHILIPPO
Melanthone collecta.

NVNC LOCVPLE=
tata, ut ſit ad uſum ſchola=
rum accommodatior.

CVM PRAEFATIONE
Philippi Melanthonis.

Adiecti ſunt in margine ex=
emplorum loci.

LIPSIAE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-852109-p0225-1